




THEATRVM
PRÆCEDENTIÆ

QVARVMCVMQ; PERSONARVM GRADVATARVM:

R. F. FRANCISCI BORDONI.

THEATRVM PRÆCEDENTIÆ

QVARVMCVMQ; PERSONARVM GRADVATARVM,

TAM ECCLESIASTICARVM, QVAM SECVLARIVM,

Et præsertim Regularium, atq; omnium Religionum inter se.

FABRICATVM PER P. MAGISTRVM


F. FRANCISCVM BORDONVM

PARMENSEM,

RELIGIONIS TERTII ORDINIS S.FRANCISCI

GENERALEM.









PARMÆ, Typis Marij Vignæ. M. DC. XXXXXIV.

Superiorum Consensu.

ILL.^MO ET REVER.^MO D.D.

CAROLO NEMBRINO

S. PARMENSIS ECCLESIAE EPISCOPO VIGILANTISSIMO, ET COMITI.



Vblicares est præcedentia, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, fructus nimirum legitimus dignitatis, & personæ, quam quisq; gerit in mundana hac hyerarchia, vnum humilians, & alterum exaltans ex conditione relatiua disquiparantiæ. Nam quemadmodum natum purioríb. elementis, amplioribus cælis, grandioribus astris sublimiora loca constituit; sic par erat, vt qui vices naturæ sustinent in ordinandis rebus humanis legibus vitari vix potest, vt nonnullis iniuria inferatur, quæ ad communiora respiciunt, & non veritate, sed præsumptione nituntur; id ipsum euenit in re præsenti. Etenim cum Præcedentia dignitatem sequatur vtcumq; quæsitam, persæpe fit, vt non fulgentiora meritis sydera in humana hac coordinatione præemineat, sed quos ad dignitatis fastigium euexit, aut familiæ splendor, aut opes, aut quandoq; malis quæsitus artibus Principum fauor. Neque tamen propterea deterior fit virtutis conditio eo minus digna, quam nisu quantum possumus maximo prosequamur. Alium quippe locum inuiolabilis, & infallibilis, hoc est, diuina institutio apud Numinis ipsius, internamue hominum æstimationem seruauit. Perpendit hoc in

præ

præfatione ad multiplices, quas disputandas susceptas Theses Ioannes Picus, nullum scilicet certum à Deo locum in hoc mundo homini statutum esse, sed in cuiusq; arbitrio positum, an virtutis alis vltra sydera per Angelorum choros, vel ad Deum vsque vellet conscendere, vel vitiorum pondere semetipsum, vel infra bruta deprimere. Non raro contingit, vt quemadmodum sol vi luminis merito præ grandioribus, & altioribus astris à mortalibus elimatur; sic qui inter homines suffragio dignitatis altius sedent, infra eos, quos ipsi despiciunt, Dei, & hominum iudicio despiciantur, honoremue assequantur vt minus spontaneum sic minus sincerum. Vsque adeo Sapientissimus hominum arbiter bonum omne, omnemq; etiam præsentis vitæ felicitatem, & quicquid violentius humanum desiderium vellicat, admirabili dispositione virtuti colligarit.

Et tu quidem ornatissime Antistes emines super alios non paucos, quippe qui quampluribus laudabiliter perfunctus sine vlla reprehensione officijs dignioribus in Vrbe, & extra in regimine Interamniæ, S. Seuerini, Fabriani, Præsidatus Montis Alti, Præfecturæ Nursiæ, Fani Fortunæ, Arimini, Vicelegationis Flaminiæ, Vicelegationis Ferrariæ, excelsiorem virtute, quam dignitate locum in Dei, & hominum æstimatione merueris, & Parmensi Ecclesiæ dudum præposito augustiorem Tibi thronum in corde, quam in templo Parmenses erigant, adeo vt Magistratus, ac Dignitates non tam merito te tractent suo quam materia, & occasione exercendæ virtutis exhibita; vnde grex tibi commissus experitur in te vno Pastoris solicitudinem, Doctoris sapientiam, Iudicis integritatem, & Patris beneuolentiam. Suscipe igitur hilari fronte hoc opusculum, qualecumq; illud sit, meæ in te obseruantiæ, & obsequij certum argumentum, & vt Pastor custodire, vt Doctor censurare, vt Iudex defendere à cryticis, & vt Pater illud cum Auctore amplexari digneris. Ex Conuentu S. Mariæ Quarterij Parmæ die 30. Octobris 1654.

Dominationis tuæ Ill. & Reuer.

Seruus addictissimus

F. Franciscus Bordonus.

R. P. FRANCISCI BORDONI

DE PRÆCEDENTIA, ET MAIORITATE.



1 E Præcedentia, quæ est prælatio, & maioritas vnius supra alium, acturus, abs re non erit exponere significationem, & sensum huius vocabuli, *Præcedentia*: Componitur autem ex *Præ*, & verbo, *Cedo*, quod significat ante ire. Præpo-
2 sitio *Præ* tres sensus habet, primo namq; significat *Per*, seu *Propter*. Genes. cap. 32. num. 12. *Quæ præ multitudine numerari non potest*. i. propter multitudinem, ex quo importat causalitatem, Cicer. ad Atticum. *Præ solicitudine, & Stomacho scribere non possum*. i. Causa, cur non possum scribere, est solicitudo, & stomachus, Secundo significat excessum in aliqua qualitate vnius supra alios, Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum*, .i. super filios hominum. *Præ* .i. supra modum exponit Ioannes Campensis, glos. v. prædamnati .i. valde damnati, cap. octaua 60. 12. q. 2. dicit importare augmentum pænæ; Pręclarus. i. valde, seu multum clarus. Tertiò significat idem, quod ante, Terent. in Andria, *Præsequar*. i. ibo ante. Præ oculis aliquem habere .i. ante oculos, seu multum diligere. Ex secundo, & tertio sensu deducitur quartus quo ad præsentem materiam Præcedentiæ, nam præcedere, & præcedentia importat excessum honoris debiti vni personæ supra aliam in certis actibus humanis, cuiusmodi sunt sedere in choro, capitulo, congregatione, &c. dare suffragium, subscribere, dicere propriam sententiam, &c. ante alios minus dignos in illo genere negotij. Præpositio igitur *Præ* importat prælibatam prioritatem, seu anterioritatem, atq;
3 excessum honoris vnius super alios. Verbum vero *Cedo* oppositum significare videtur, nam secundum Nizolium ad hanc dictionem significat concedere, dare locum, retrahere se, abire, &

 disce-

discedere, ex quo non videtur posse coniungi cum dictione *Præ*, & facete præallegatum sensum, nam si *cedo* significat dare locum alteri, iam sic cedens locum suum, non dicetur habere præcedentiam supra illum, cui locum cessit. At id non obstat, quia nemo sibi honorem assumere debet, ad Hebr. cap. 5. sed est alter, qui alteri honorem cedit, teste Arist. 1. Æthic.
4 cap. 5. vbi dicit, honorem computari inter bona externa existentem in honorante ad honoratum, consequenter ille dicitur præcedere, cui ab alio debitus ceditur honor. Sed vt ordinatim procedamus.

Quæres primo, an liceat quærere præcedentiam super alios, & de hac re mouere quæstionem, seu litem? Videtur, quod non, *Primo*, quia reprobatur cap. Multi fin. dist. 40 his verbis. *Quicumq; desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cælo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit. Secundo* ex ætimologia, nam præcedere est ante alios ire, sed talis effectus est ambitionis ex eiusdem vocis significatione, nam ambire significat ire ante alios, vnde Cicero ita scribit. *Miserrima est omnino ambitio, honorumq; contentio*; quare ab omnibus
5 huius generis altercatio fugienda est. *Tertio*, hinc est, quod ecclesiastici in processionibus damnantes hoc ambitionis vitium, inuerso ordine procedunt, & non præcedunt, nam minores præcedunt, maiores vero in humilitatis exemplum postcedunt, & vltimum occupant locum in detestationem ambitionis. *Quarto*, nõ contendere de primatu maxime decet religiosos Mendicantium præsertim Franciscanos, & de Paula, qui sub titulis humilitatis insigniri voluerunt, præseferentes sub his nominibus humilitatem, & abiectionem, non superbiam, neq; elationem. His tamen non obstantibus.

6 ℞. Modeste etiam per viam iuris sibi debitum honorem quærere licitum est, & nulla incurritur nota ambitionis. Probatur, Tum quia quærere proprium honorem non est malum, cum suadeatur ex Sacris literis, Prouerb. cap. 5. *Ne des alienis honorem tuum* Ad Roman. cap. 12. *Honore inuicem præuenientes. Ho-*
7 *norem meum nemini dabo.* Tum quia honor, & vita æquiparantur, l. iusta causa ff. de manum. Et honor est maximum bonorum, gl. v. honorẽ, extrau. Ad conditorem, de verb. signif. Arist. 4. Æthic.

conten-

contendere autem de præcedentia sibi debita est agere de iure honoris, cap. 1. de maior. Tum quia apud omnes magno est in honore, & super ipsa ius dicitur, ergo quisq; in ea læsus in-
8 stare potest, vt sibi ius dicatur super illam. Tum quia loca digniora quæruntur, non propter ambitum, sed propter finem obseruandi debitum ordinem, quod est laudabile, & iuri comsonum, vt alter alteri præsit, *l. 1. & 2. C. vt dign. ordo seruetur lib. 12. l. 13. C. de erogat. mil. annon. Menoch. consil. 126. lib. 2. apud Gratian. tom. 5. Disceptat. cap. 845. num. 3.* Tum quia præcedentia est ius publicum, vt probatur infra q. 4. ergo non tantum procuranda est pro se, quam pro successoribus, in quorum præiudicium renuncianda non est. Tum quia secundum Baldum citatum *à Lancelloto Corrado in suo templo omnium iudic. lib. 2. cap. 9.* ille tenetur actione iniuriarum, qui turbat ordinem, cui & potest de facto resisti, quia nemo debet parui pendere suum honorem, ergo illum totis viribus procurare debet.

Obiectis respondetur, ad illa verba, quæ sunt D. Crisostomi, ibi sermonem esse de Sacerdotibus, qui quærunt prælaturas ex ambitione, vt præsint subditis, & non vt illis prosint, & sic non faciunt contra nos. *Ad secundum*, præcedentia fundata in iure, & meritis personæ non continet ambitionem. *Ad tertium* dico illius differentiam non esse causam ambitionis, quamuis radices fixerit in humilitate ex honestate ecclesiasticorum, ex quo
9 honoris, & præcedentiæ gradum consequuntur, quia in processionibus se habent vt ministri, & serui suorum subditorum, iuxta illud Matth. cap. 20. *Quicumq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Seruus autem non præcedit, sed dominum sequitur, vt illi inseruiat; sic debent facere Prælati vti serui, & pedagogi prosequentes suos subditos, quos ante oculos continue habere debent, vt bonis illorum exemplis informati ad meliora progrediantur. *Catalogus gloriæ mundi part. 4. considerat. 75.* dicit ideo minores anteire, & præcedere maiores in processionibus, quia dignior locus censetur ille, qui est proximior Episcopo, consequenter digniores clerici incedere habent ordinatim prope Episcopum, qui in processionibus nobiliorem locum tenet procedendo medius inter ecclesiasticos, & seculares. Ad quartum, non

opponuntur illi tituli præcedentiæ iuri, quę actus superbiæ non est, sed honoris, qui humilitati congruit, dicente Christo: *Qui se humiliat exaltabitur*.i.honorabitur.

Quæres 2. An præcedentia sit actus honoris?

10 ℞. Sic, ex cap. 1. de maior. Ratio est, quia datur ex præcedentibus meritis, virtutibus, seu laboribus, atq; in rememorationem obsequiorum, senectutis, & similium, nam illi gradu alios antecellere debent, quos labor prolixior, & stipendia meliora fecerunt anteire, l. Nemo, C. de offic. magistr. literati pariter sunt honorandi,

11 cap. de multa 28. de præbend. vbi glosa.

Quæres 3. An pręcedentia sit res magni, aut leuis momenti? *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 68. ex Nauar. consil. 27. de Regul.* præcedentiam loci, dandi suffragij, vocat res modici momenti.

12 ℞. Præcedentia est res magni momenti. Probatur, Tum quia fundatur in meritis, virtutibus, & laboribus ex Præcedenti quæstione. Tum quia est actus honoris, ac proinde res pretiosa, cum honor ab omnib. maximi æstimetur. Tum quia ius tam canonicum, quam ciuile de ipsa tractat, & passim iudices super hac re ius dicunt, quod non fieret, si esset res parui momenti, quia lex minima, neque modica considerat, &, vt aiunt, prætor non curat de minimis. Tum quia eius priuatio est pęna grauis, cap. Mandamus 2. 19. q. 3. Tum quia alterius præcedentiæ ius perturbans, propriam perdit, & in vltimum detruditur locum, cap. fin. dist. 93. *Ita Puteus lib. 2. decis. 440. lib. 3. decis. 6. Cardin. Seraph. decis. 22. num. 2. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. in proœm. nu. 30. apud Gratian. Disceptat. cap. 845. initio, Peirynus de Prælato cap. 1. q. 3. §. Vn. num. 152.*

Quæres 4. An præcedentia sit ius priuatum, an publicum? Ius

13 publicum est illud, quod communitati alicuius Ciuitatis, Collegij, professionis, religionis, seu loci conceditur; & coincidit cum fauore, & priuilegio concesso omnibus sub communi ratione vnius corporis politici spectatis. Hac ratione priuilegium Canonis, vt scilicet nullus ecclesiasticus percuti possit sine excommunicatione à percutiente contracta; & fori, quo eximitur, seu potius trahi non potest ad tribunal seculare, dicitur ius publicum, quia est concessum omnib. ecclesiasticis ratione clericalis

14 status; & de hoc extat commune axioma, quod nemo iuri publi-

co

15 co renuntiare potest, cap. Si diligenti 12. de foro compet. l. Ius publicum ff. de pactis. Ius vero priuatum est illud, quod conceditur singulis ratione sui præcise, & non ratione alicuius communis ad inuicem, siue status, siue collegij, &c. & de hoc fauore dicitur, quod quilibet iuri suo potest renuntiare, cap. fin. de crim. falsi, cap. si de terra, 6. de priuileg. Cap. Ad Apostolicam 16. Cap. Statuimus 23. de Regul. Fauori igitur priuato quicumq; renuntiare potest, eo, quod ita proprium est priuilegiarij, vt per illius renuntiationem nulli fiat iniuria, & præiudicium, si enim alicui prȩiudicium generaretur, iam ex hoc non esset fauor priuatus, & vtilis tantum concessionario, sed alijs etiam, quibus illius re-
16 nuntiatio prȩiudicaret. Ex quo dignoscitur clarior differentia inter vtrumq; ius, nam publicum dicitur illud, quod est commune alicui corpori politico, ex cuius renuntiatione facta ab aliquo eius membro sine aliorum consensu, præiudicatur alijs, si enim ius publicum communitati fauorabile est, ita pertractandum est, vt nulli fiat præiudiciale, aliter non esset in communem vtilitatem concessum. Ius vero priuatum est illud, quod conceditur priuatis personis, ideo priuatis, quia communionem in aliquo corpore politico ratione proprij fauoris non habent, respectu cuius priuilegium emanauerit, ideo potest renuntiari, cum nulli præiudicet, nisi renuntianti, qui ita vult, quia potest sibi præiudicare. His præmissis.

17 ℞. Ius præcedentiæ est fauor publicus. Suadetur, Tum quia in religionibus est ordinata ad commune bonum professorum, vt vnusquisq; suo contentus statu non audeat aliorum perturbare iura, sed quilibet stet in gradu suo, honore inuicem præuenientes, & illa gaudent quatenus sunt membra vnius ordinis, & religionis, quod est illorum corpus politicum, sub quo gradatim honoris præcedentiam habent.

18 Tum quia præcedentia est ius relatiuum in ordine disquiparantiæ maiorum, & minorum ad inuicem coordinatorum secundum prius, & posterius, per ipsam enim vnus alteri successiuo ordine præcedit, absq; alicuius exclusione, vnde omnes de Congregatione, Collegio, Religione successiue se habent secundum prius, & posterius, ac proinde cum omnes nullo excluso huius iuris participes sint in ratione communitatis, collegij, ordinis, &c.

necessario id in eis erit ius publicum, & commune emanatum ad communem vtilitatem. Tum quia ius præcedentiæ quædam lex est in omnibus collegijs, congregationibus, &c. à membris Collegij seruanda, ne perturbetur ordo in qualibet re æstimandus, ergo computatur præcedentia inter iura publica.

Quæres 5. An aliquis iuri suo præcedentiæ renuntiare possit fauore alterius?

19 ℞. Non, quando alijs potest præiudicare. Probatur, Tum quia iuri publico nullus renuntiare potest ex allegatis præcedenti quæstione, vbi probatum fuit præcedentiam esse ius publicum.

20 Tum quia præcedentia non tantum est fauor, quam statutum, seu lex in bonum commune Collegiorum, religionum, &c. qua mediante tribuitur vnicuiq; proprius honor debitus de iure, ac proinde cum sit ius conseruatiuum concordiæ, & pacis in collegijs, & religionibus, non potest renuntiatione destrui, aut perturbari à quoquam. Tum quia cessio præcedentiæ habet speciem

21 collusionis, cum per eius renuntiationem partes dicantur colludere professis intermedio tempore, quibus necessario præiudicatur, vt notum est; gesta autem per collusionem inualida sunt,

22 Ioan. Andr. cum reliquis in cap. fin. de collus. deteg. ergo & huiusmodi renuntiatio. Et licet collusio sit de genere malorum,

23 quia est fraudulenta conuentio plurium ad decipiendum tertium, vt omnes docent in Rubr. de Collus. ac proinde vt delictum probanda sit, quia delicta non præsumuntur, vt firmant *Emiliam. consil. 6. num.* 13. *Natta consil.* 533. *num.* 30. *Mascard. concl.* 296. *Paris. lib.* 1. *consil.* 110. *num.* 103. tamen in subiecta materia, vbi ciuiliter agitur, non est necessaria probatio, in quantum agitur de præiudicio tertij, hoc enim notorium est ex facto renuntiationis, quæ suum effectum sortiri non potest, nisi per actum notorium, & manifestum, mutatione s. loci in sedendo, respondendo, &c. quæ omnia apparent sine probatione.

24 Dixi, *quando alijs præiudicare potest*, nam aliquando ex cessione præcedentiæ nulli fit præiudicium, quando nimirum inter cedentem, & cessionarium nulla persona intermediat, in eo enim casu, vnus alteri locum cedere potest, quia nulli fit iniuria, aut præiudicium, vt accidit, quando alij intermediant, vnde sextus in ordine v. g. non potest iura sua cedere octauo in loco inferiori,

nam

nam hac ratione octauus sederet supra septimum, quod repugnat iuribus præcedentiæ.

Sed numquid superior debeat cogere cedentem, vt redeat ad iura priora?

25 ℞. Affirmatiue, quando cessio fuit præiudicialis. Tum quia cessionarius iniuste, & illicite possidet in præiudicium intermediantium. Tum quia huiusmodi cessio fuit nulla, ergo superior vtrumq; cogere debet, vt redeant ad priorem locum. Quando non fuit præiudicialis, quia nimirum nullus mediat, in eo casu superior non habet debitum cogendi, licet possit præcipere, vt vnusquisq; redeat ad priora iura, quibus cesserant sine eius licentia.

Quæres 6. An quis iuri præcedentiæ renuntiare possit in fauorem tertij auctoritate superioris, licet alij intermedient?

26 ℞. Affirmatiue, quia id non prohibetur in ratione facti, & cum quis cedere possit alteri iura sua, quando nullus intermediat, à fortiori id fieri poterit etiam auctoritate superioris; immo & quando aliquis intermediat habitu tantum, quia .s. abest, alibi habens domicilium; Verum quidem est, si redeat, huiusmodi cessio non debet illi nocere, sed tunc vnusquisq; debet redire ad sua antiqua loca, quia superior in præcedentia nulli sine causa, & culpa debet, nec potest prȩiudicare.

Quȩres 7. An qui tertio immediato cessit iura prȩcedentiȩ, postea possit ad illa redire?

27 ℞. Non potest, quia remittentibus actiones suas non datur amplius regressus ad eas, l. Quæritur, §. si venditor, ff. de ædil. edict. Quod si cessio fuit mediata, ac proinde prȩiudicialis, implorato superioris officio, redit ad priora iura, quia cessio fuit nulla; & ea regula locum habet in remissione, & cessione tantum valida.

Quæres 8. An consuetudo locorum attendatur in præcedentia?

28 ℞. Affirmatiue, quia consuetudini non repugnat habere locum in iure prȩcedentiæ, sicut habet in alijs materijs. Ita omnes, quos magno numero citat. *Barbosa ad cap. 13. sess. 25. Tridentini num. 11. Tamb. tom. 1. disp. 25. q. 7. num. 5. Nauar. consil. 1. de maior. idem Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 12. num. 81. Mar. Anton. lib. 1. resolut. 81. Diana resolut. 29. de consuet. vbi primo allegat glosam cap. 2. de off. Archid. v. Auscultetur.*

29 Procedit responsio, licet consuetudo repugnet iuri communi, quod habet, vt dignior præferatur minus digno, ex iuribus allegatis à glosa v. digniores, cap. Cum dilectus 32. de elect. vnde experimur in eadem Congregatione Abbatem cedere locum simplici Theologo, qui prius ingressus fuit congregationem, seu collegium, vt infra patebit, nam in tali loco se habet consuetudo, vt primo ingrediens locum habeat, licet postea alius, cuiuscumq; sit dignitatis, admittatur; in alio loco forsan attenditur maior dignitas, & non tempus ingressus, & sic seruatur ius contra consuetudinem seruatam in alio loco. Quod teneat consuetudo licet sit contra ius commune, docent *Menoch. consil.* 51. *num.* 51. *Seraphin. decis.* 964. *Gregor. XV. decis.* 24. *num.* 2. *quos citat Diana cit. resol.* 29. *de consuet. Tambur. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *num.* 81. *Fabius Anna consil.* 40. *num.* 2. *Ferentillus ad decis.* 903. *Burati num.* 20. *cum eis Carena de S. Officio part.* 1. *tit.* 8. *num.* 15. Prædicta ita vera sunt, vt manutenendus sit in possessione præcedentiæ aquisitæ per consuetudinem iuri repugnantem, quando est alicuius temporis considerabilis, vt pręcitati docent, alijs allegatis doctoribus. Fuse Manriq. q. 18.

Quæres 9. Numquid consuetudo rationabilis iudicetur in omnibus casibus?

30 ℞. Negatiue, quia non Sacerdos non pręfertur Sacerdoti, cum id sit irrationabile, & inhonestum, quod maior subsit minori, gl. v. exemplum cap. Cum inferior, de maior. Neque laicus præferri potest Sacerdoti, cum nulla subsit causa legitima id faciendi, sed sit contra bonos mores; & hac ratione intelligendi sunt *Tuscus lit. R. concl.* 171. *num.* 4. *Decius consil.* 81. *num.* 64. *quos pro se citat Peirin. tom.* 2. *priuileg. ad Bullam* 7. *Pauli V. num.* 11.

Pro perfecta intelligentia consuetudinis in materia pręcedentiæ tria sunt spectanda, *primo*, quando duo in omnibus pares contendunt pręcedentiam, tunc debetur illi, pro quo est consuetudo, quia ratione huius aliquid plus dicitur habere, ratione cuius legitime pręferendus est. *Secundo*, quando controuersia est inter maiorem, & minorem, in quo casu, si maior habet pro se consuetudinem, sine dubio præfertur, quia in omnibus superat alterum, & cum id sit conforme iuri communi, nulla requiritur temporis pręscriptio, sed sufficit vnus, vel alter actus, quo consuetudo inchoatur,

choatur, secundum *Marescotum lib. 2. Var. resol. cap. 100. num. 2. & 23.* Demum *Tertio* quando minor contendit contra maiorem, & tunc omnes fere Doctores tenent, consuetudinem non esse, sed abusum, & errorem, vt in exemplis allatis in pręsenti quęstione. *Et ita docent Panorm. part. 1. consil. 21. num. 4. Menoch. consil. 126. num. 32. Gratian. cap. 298. à num.* 8. Intellige, quando altercatio est extra collegium, seu Congregationem, nam in his communiter attenditur ingressus ex probatissima consuetudine, nullo respectu habito maioritatis, & minoritatis personæ, vt dictum fuit, & infra patebit suis locis. Adde, quod in pręcedentijs manutentio danda, & conseruanda est ei, qui probat consuetudinem, etiamsi iuri repugnat, maxime quando est alicuius temporis considerabilis Rota tom. 1. Nouissim. decis. 85.

Quæres 10. An magis dignus semper preferatur minus digno? No-
31 ta sequentia; primo, quod dignitas, & prælatura sunt gradus habentes adiunctam administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione ordinaria fori externi, vt docent Canonistæ in cap. Decernimus, de iudic. Secundo ad constituendum, seu cognoscendum aliquem esse in dignitate constitutum tria requiruntur; primo, vt habeat administrationem rerum ecclesiasticarū cum iurisdictione fori externi, secundo nomen dignitatis cum prærogatiua pręcedentię in choro, & in capitulo; tertio quod ex consuetudine talis reputetur in ecclesia; de qua re plura. *Tambur. tom. 1. disp. 1. q. 2. & tom. 3. decis.* 4. Primo modo nomen dignitatis sumitur proprijssime, & coincidit cum Prelatura, quę duo includit, administrationem externi fori, de qua doctores in cap. Decernimus, de iud. cap. De multa, de prębend. Megal. lib. 1. de censur. cap. 2. num. 2. Huius generis dignitatis sunt Episcopi, Abbates nonnulli seculares, omnes Regulares. Item Generales, Prouinciales, & Superiores locales, habent enim officia cum administratione, & iurisdictione fori externi. Non
32 solum prelati dicuntur in dignitate constituti, sed etiam alij, qui in choro, & alibi habent pręrogatiuam super alios, qui tali preeminentia non gaudent, vt sunt in religionibus Definitores, Discreti, Custodes, &c. qui alijs preferuntur. Eorum dignitas vocatur personatus, *iuxta glosam in cap. 1. de consuet. in 6. & v. Dignitatibus cap. 1. §. sed si pars, de elect. in 6.*

Vide

Vide Sigis. dub. 62. de elect. Peirin. in Formul. liter. Z. cap. 2. Portell. officia ordinis. Doctor cuiuscumq; facultatis dicitur dignifica-
33 tus, est enim doctoratus dignitas huius generis, cap. Quanto 3. de Magistr. ibi Canon. vnde & honorandus est, cap. De multa
34 28. de præbend. l. Prouidendum, C. de postul. Demum ex probata consuetudine quis constituitur in dignitate, sicut enim per
35 consuetudinem aquiritur iurisditio, & habenti ampliatur, ex cap. Duo simul 9. de off. ordin. ita & dignitas comparatur consuetudine, Innocent. in cap. De multa, de præbend. & alij communiter.

36 Demum quis dicitur alio dignior multis modis. *Primo*, qui habet dignitatem ecclesiasticam supra secularem, cap. Duo sunt 10. Cap. Si Imperator 11. dist. 96. Grilenz. consil. 40. num. 13. quia ecclesiastica est maior laicali, vt fusius probabo infra q. 41. *Secundo*, ille, dicitur dignior, qui nobiliorem exercet artem, Bursat. lib. 4. consil. 345. num. 11. Capic. decis. 27. num. 23. M. Anton. lib. 1. resol. 81. num. 2. *Tertio*, dignior dicitur, qui in maiori labore, & diligentia versatur, arg. l. Nemo, C. de off. mag. Bursat. & M. Anton. citati *Quarto*, dignior dicitur, qui clarioribus fulget virtutibus, Auth. de monach. §. pen. col. 1. Catal. consid. 19. part. 7. *Quinto*, dignior dicitur primo nominatus, l. 1. ff. de albo scrib. Bald. in l. cum quidam, C. de verb. signif. glos. v. Mediolan. cap. Bene dist. 96. *Sexto*, censetur dignior, qui in habitu, vel sacerdotio est antiquior, Rota diuers. part. 3. lib. 2. decis. 38. Rota in Recent. part. 2. decis. 481. *Septimo*, dignior est, qui cæteris præcellit scientia, & sanctitate, cap. Vilissimus 1. q. 1. *Octauo*, dignior dicitur, qui à maiore, & digniore est ordinatus, licet posterius sit receptus, cap. Per tuas, de maior. Boer. de ordin. Magistr. consil. 12. & 92. ideo ordinatus à Papa prefertur ordinato ab Episcopo, cap. Qui sæpe, cap. Hi qui, cap. Si à sede, de præ-
37 bend. in 6. non habet locum in promotis ad doctoratum ex gratia, & priuilegio, quia à Papa immediate non promouētur, sed tantum dispensantur, vt promoueri possint, id enim arguit in eis imperfectionem, ideo ex hoc digniores non fiunt. *Nono*, dignior dicitur, qui maiorem habet administrationem, Hostien. in summa de maior. num. 1. Gemin. in cap. 1. de consuetud. in 6. Decius
38 consil. 61. fine, hac ratione Archipresbiter Paduanus dignior est

non

non solum ratione ordinis, sed etiam ex administratione, quia beneficiatos in ciuitate installat, Archidiacono, qui installat eosdem extra ciuitatem, licet cap. 1. de off. Archipr. dicatur, quod Archipresbiter subest Archidiacono, quia is maior est in administratione illo, qui maior est tantum respectu ordinis. *Decimo*, dignior dicitur, qui plures habet dignitates, seu gradus, Canon. in cap. Clerici, de iudic. Host. & Abbas in cap. 1. de consang. *Vndecimo*, dignior dicitur, qui primo loquitur, Eccli. 22. *Loquere maior natu, decet enim te. Duodecimo*, dignior dicitur, qui est apud Principem in officio etiam minimo. *Decimotertio*, vnus alio maior, seu dignior dicitur ex quatuor causis, primo ex maiori virtute; secundo ex pluribus gradibus obtentis; tertio ex maiori numero amicorum; quarto ex nobilitate generis cum virtutibus coniuncta, Peirin. tom. 3. priuileg. cap. 10. num. 14. *Decimoquarto*, maior dicitur sedens in medio, qui locus est præstantior, infra q. 40. Catalog. part. 1. consid. 13. sicut ille dicitur maior, qui in altiori loco residet, Alber. consil. 556. num. 6. Tambur. tom. 3. decis. 2. item, qui manum dexteram tenet, Bald. in l. Decernimus, de sacros. eccl. notab. 3. glosa in cap. Quam periculosum 3. q. 1. Tambur. tom. 3. decis. 1. num. 2. *Decimoquinto*, dignior est sedens, quam stans, Bald. in l. Quoties 3. C. Vbi senator, vel clariss. Catal. part. 1. considerat. 11. sedere enim arguit dignitatem, & honorem, atq; meritum. *Decimosexto*, ille est maior, cui ministratur, Lucæ cap. 22. num. 27. illis verbis: *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?* quia minor debet seruire maiori, non è contra, cap. Est 12. 33. q. 5. neq; ab isto, iudicari, cap. Omnes 2. 6. q. 1. & maiorem subesse minori inhonestum est, glos. v. Exemplum cap. Cum inferior 16. de maior.
39 per iura ibi citata. *Decimoseptimo*, ille dicitur dignior qui iure proprio, & ordinario vtitur, Barto. in l. Quod Principi, ff. de leg. 2. Decius reg. 217. cum alijs Gonzal. ad 8. reg. cancell. glos. 5. num. 103. & 104. *Decimooctauo*, ille est dignior, qui dignitatem habet perpetuam l. Nemo, C. de off. mag. cum doctor. citatis à Morono Responso V. num. 3. & 4. Demum idem est esse maior, & dignior, cap. Sedes 15. de rescr. His præmissis.

40 ℞. Magis dignus pręfertur minus digno in omnibus actibus honoris, nisi obstet vsus probatus ex præcisa temporis prioritate.

Proba-

Probatur ex diuersis iuribus, cap. Illud 19.8.q.1.cap. Solitę 6. de maior. glos. v. Digniores, cap. Cum dilectus 32. de elect. per l. Nemo C. de off. magistr. l. 1. & 2. ff. de albo scrib. Felin. in Rubr. de maior. num. 8. & 10. Rota vol. 2. decis. 326. num. 4. & omnes alij. Dixi, *nisi vsus probatus ex prioritate temporis*, quia tunc pręcise spectatur tempus, & non consideratus qualitas, seu dignitas, vsus autem censetur legitime probatur cum ab initio collegij ita practicabitur, vel postmodum legitima existente pręscriptione.

Quęres 11. Quis pręferatur, quando ambo sunt pares in dignitate?

41 ℟. Qui primo fuit promotus, cap. Episcopos 7. dist. 17. cap. Episcoporum, 5. dist. 74. cap. fin. dist. 75. cap. 1. de maior. Ratio desumitur ex Regula iuris canonici 54. in 6. Qui prior est tempore, potior est iure. Iuris ciuilis, l. Nemo C. de off. ma. off. is gradus cęteros antecellit, quem labor prolixior, vel stipendia meliora fecerint anteire. Quare Episcopus hodie promotus pręferendus est illi, qui cras promouebitur. Hodie doctor creatus postponitur illi, qui pręcedenti die fuit laureatus, & sic discurre super reliquis.

Quæres 12. An consuetudine induci possit, quod non sacerdos pręferatur Sacerdoti?

42 ℟. Nulla consuetudine induci potest, vt Diaconus, & non Sacerdos pręferatur Sacerdotibus in Choro. Ratio est, quia inhonestum est, quod maior subsit minori, glosa v. Exemplum, cap. Cum inferior, de maior. & contra decus ecclesię, gl. v. postulauit, cap.
43 Cum ecclesia 31. de elect. consuetudo autem inhonesta, & contra decus ecclesię consuetudo non est, sed corruptela, cap. fin. de consuet. Confirmatur id per Responsum Sacrę Congregationis
44 his verbis: *Sacra Rituum Congregatio iuxta alias resoluta respondit ordinem ecclesiastica hierarchia seruandum esse, vt primum, & digniorem locum obtineant Canonici Presbiteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi, licet Diaconi, vel Subdiaconi ante Canonicos Presbiteros sui canonicatus possessionem acceperint: & ita in Catedrali Lunensi Sarzanensi seruari mandauit, non obstante contraria consuetudine, quam abusum eadem S. C. declarauit die* 14. *Ianuarij* 1640. Hoc Decretum est registratum in calce Synodi Sarzanensis editę die 4. Maij. 1642. pag. 83. confirmatiuum Statuti

eiusdem

eiusdem tenoris, quod ediderat in Synodo prædicta Illustrissimus, & Reuerendissimus Prosper Spinula ibidem Episcopus.

Quæres 13. An possessione, & per eius vnicum actum aquiratur præcedentia?

45 ℞. Possessione aquiritur ius præcedendi, itaut qui prius incipit possidere præferatur ei, qui posterius inchoauit possidere, vt colligitur ex Bulla Gregorij XIII. incip. *Exposcit pastoralis officij.* illis verbis: *Qui in quasi possessione pracedentiæ, ac iuris pracedendi sunt, ij, (quibuscumq; reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis, quam priuatis pracedere debeant.* Per possessionem igitur aquiritur ius præcedendi super alios, respectu cuiuslibet actus tam publici, quam priuati, etiam extra casum processionis, vt docent *Perez de Lara lib. 1. de Anniuers. & capellis cap. 24. num. 26. Campan. Rubr. 12. num. 12. alios cum illis citat Barbosa ad cap. 13. sess. 25. num. 14.* Riccius par. 3. resol. 276.

46 Bulla citata dicit: *in quasi possessione:* quia proprie & principaliter corporalia apprehenduntur, & possidentur, incorporalia vero secundario, & analogice dicuntur possideri. Hinc deducitur Canonicum non aquirere ius præcedendi, nisi à die acceptæ

47 possessionis sui canonicatus. Pariter doctoratus non aquirit ius

48 præcedendi, nisi à die aggregationis, & incorporationis cum alijs in collegio, per eam enim accipit possessionem, & ius præ-

49 cedendi cum alijs. Item Nouitius in Religione à puncto profes-

50 sionis infra q. 140. Prælatus, seu officialis à puncto confirmationis in officio, quando illa indiget, aliter ab hora electionis denunciatæ, iuxta praxim Religionum.

51 Huiusmodi autem possessio per vnicum actum aquiritur, secundum doct. *in cap. Querelam, de elect. Alex. consil. 74. num. 16. lib. 4. Anchar. in reg. 3. in 6. num. 8. in terminis nostris Decian. lib. 5. consil. 84. num. 26.* quem pro se citat Rota in Hispal. præemin. coram Penia, & ad verbum refert Barbosa tom. 3. decis. 1. num. 4. Sufficit autem vnius actus ad manutenendum aliquem in possessione, secundum prædictum Decianum.

Quæres 14. An præscriptio habeat locum in præcedentia, itaut

52 vnus ab altero possit præcedentiam auferre? Notandum autem est, quod præscriptio est ius possidendi rem alienam capacem

præ-

præscriptionis, propriam putatam bona fide, & iusto titulo, quam à se abdicare non tenetur, qui eam legitimo temporis spatio præscripsit, licet post illud tempus deueniat in malam fidem. i. cognitionem, illam rem fuisse alterius. Dixi primo *ius* quia præscriptionis fauor à iure conceditur ad lites euitandas, & in odium eorum, qui res proprias negligunt, ita doct. in Rubr. de præscript. Dixi secundo *possidendi*, quia aliquid non potest præscribi, nisi prius possideatur, seu quasi possideatur, quod limito propter incorporalia, quæ non presse, & simpliciter, sed tantum secundum quid possidentur, quia pedum positione, nec manuum constrictione apprehendi possunt, sicut corporalia; præscriptio igitur fundatur in possessione, à qua initium capit, ad
53 quod habetur Regula 3. in 6. Sine possessione præscriptio non procedit, cap. Causam 7. de præscript. l. Male agitur ff. eod. Dixi tertio, *rem alienam*, quia nemo propriam præscribit, cum iam sua sit sine vllo ordine ad prȩscriptionem, prȩscribere enim est rem alienam facere propriam. Dixi quarto, *capacem præscriptionis*, multa enim prohibentur prȩscribi, quȩ colligit *glosa fin. cap. Cum non deceat* 12. *de præscript. Lessius lib. 2. cap. 6. dub.* 15. *Sair. lib. 9. cap.* 13. *dub.* 2. inter autem prohibita non exprimitur prȩcedentia, consequenter ex hoc capite est capax prȩscriptionis.
54 Dixi quinto, *bona fide, & iusto titulo*, ex cap. Si diligenti 17. eod. in rebus ecclesiasticis, vnde Reg. 2. in 6. dicitur, quod possessor malȩ fidei nonquam prȩscribit; requiritur ergo bona fides in principio, medio, & fine, dicit gl. cap. 1. 14. q. 6. ita quod prȩscriptionis tempus currere habet sine vlla interruptione, ex citatis doctoribus, quibus adde Bonac. disp. 1. de contract. q. fin. p. 2. §. 1. à num. 14. ad 19. Dixi sexto, *quam à se abdicare non tenetur præscriptione finita*, quia prȩscriptio tutum facit in vtroq; foro possi-
55 dentem, ita gl. v. nouerit, cap. Vigilanti 5. de prȩscript. quod firmat *Tambur. tom. 1. disp. 19. q. 8. Sair. lib. 9. cap. 12. dub. 10. num. 34. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 17. Bonac. cit. prop. 3.* Dixi demum septimo, *legitimo temporis spatio*, hoc autem spatium determinabitur sequenti quæstione.

Videtur autem, quod præscriptio non habeat locum in præceden-
56 tia. Primo, quia præscriptio est ius possidendi arguens actum proprietatis, vt docent omnes, vnde dicitur præscriptio pars pro-

prietatis,

proprietatis, l. 4. de Vsufr. gl. v. causa cap. Pastoralis, de causa possess.& possessio debet fieri nomine proprio, Lessius lib.2.cap. 6.num.5.ergo saltem ex parte Religiosorum, qui incapaces sunt proprietatis, præscriptio præcedentiæ locum non habet; & ita docent. *Sair. lib.9.cap.12.num.9.Bonac. disp.1.de contr.q.fin.p.2. §.2.num.7.& alij communiter.* Secundo, quia dixi supra q.4.præcedentiam esse ius publicum, & in religionibus per statuta, & constitutiones ordinatur,& eius obseruantia subijcitur obedientiæ superiorum; sed ius publicum, statuta, & constitutiones non possunt præscribi à religiosis arg. cap. Cum non liceat 12. cap. Cum ex officij 16. de præscript. ergo neq; pręcedentia. Quibus tamen non obstantibus.

57 ℞. Præscriptio habet locum in pręcedentia; & ita vnus contra alium pręscribere potest locum digniorem, quando bona fide incipit sedere, loqui, &c.& finito tempore pręscriptionis, perseuerare potest in iure aquisito, licet deueniat in malam fidem, & incipiat cognitionem habere, illi non competere locum digniorem; quę procedunt etiam respectu regularium, non solum quando vnus immediate pręscribit contra alterum, verum etiam,quando alij intermediant,contra quos etiam pręscribit, licet simul semper non maneant.

Primum,quod pręcedentia possit pręscribi,constat ex eo,quod nullo iure prohibetur illius pręscriptio, ergo admittenda est; id autem omnes concedunt citandi sequenti quęstione.

58 Secundum, quod debeat pręcedere bona fides, patet ex dictis in declaratione definitionis; bona autem fides est credulitas,per quam possidens putat, rem,quæ est aliena, esse suam, aliter si scit esse alienam pręscribere non potest vti possessor malę fidei. Quare credens aliquis religiosus, se esse prius professum altero, licet ex parte rei sit oppositum, iuste priorem locum possidet, consequenter illum pręscribere potest.

Circa hanc bonam fidem occurrunt nonnulla dubiola respectu regiosorum. *Primum*, an dubitans circa professionem sitne valida, an prius profitens perdat bonã fidem? *Secundũ* an opinio de pręd ictis bonam fidem excludat? *Tertium*,an petens ratificationem amittat bonam fidem? *Quartum*, an professo asserenti, se hactenus fuisse in bona fide credendum sit? *Quintum* an mala fides pręsumatur,an vero sit probanda?

59 Primo, quando dubium præcedit possessionem præcedentiæ, locum non potest habere bona fides, quia incipiens possidere pręcedentiam debet credere, se vel prius altero fuisse professum, vel habere rationabilem causam pręcedendi, ergo si dubitat, iam non credit, ac proinde incipit mala fide tenere locum, & iura alterius, consequenter nonquam potest pręscribere. Quando vero dubium sequitur possessum non infringit bonam fidem ab initio conceptam, id probatur, Tum ex illo communi axiomate: In dubijs melior est conditio possidentis. Tum quia dubius ab ignorante non distat, *l. Manifestissime* §. *Sin autem C. de furtis, Surd. decis.* 26.*num.* 17. Sed ille dicitur bona fide possidere, qui ignorat rem esse alienam, cap. Si virgo 5.34.q.1.& constat ex definitione superius explicita. Tum quia in dubio sicut concludendum est valere professionem, *de communi doctorum, quos allegat Peyrin.q.*3.*de Pralato cap.* 1.§.*V.num.*140.ita inferendum est non tolli bonam fidem erga valorem eiusdem in ordine ad præce-
60 dentiam. Tum quia conscientia dubia non tollit bonam fidem, vt docent *Lessius lib*,2.*cap.cap.*6.*num.* 11.*Sair.lib.*9.*cap.* 12.*num.* 14.

61 Secundo, quod nec opinio tollat bonam fidem, à fortiori fauendum, quia opinio, & bona fides ęquiparantur, ambę enim sunt prudens iudicium in ratione fundatum.

62 Tertio, qui ratificat professionem eo, quod habet dubium, vel scrupulum, quod sit nulla, non infringit bonam fidem, nec interrumpit pręscriptionem, quia non dicitur ratificare professionem nullam, sed tantum dubiam confirmare, vt securus maneat in conscientia, & ad remouendum scrupulum. Qui vero illam ratificat, quia cognoscitur nulla, perdit ipso iure bonam fidem, & interrumpit pręscriptionem, intellige, quando deuenit in cognitionem nullitatis professionis ante finitum tempus pręscriptionis, nam post manutenendus est in sua possessione.

63 Quarto, credendum est asserenti se habere bonam fidem, quia etiam in dubio pręsumitur, gl. v. bona fides, cap. Si diligenti 17. de pręscript. & solo iuramento probari potest, si casus occurrat, *glosa fin. cap. Dilectio* 7. 16.*q.q.*3.*Couar.in Reg. Possessor* §.8.*num.* 2.*Paris. lib.*1.*consil.*104.*num.* 110.*Portell. part.*1.*casu* 27.*num.*1. *&* 3. asserens iuramento Abbatissam probare, se bona fide famullum

mulum introduxisse in clausuram, ergo eo magis in casu nostro.

64 Quinto, mala fides non præsumitur, cum sit de genere delictorum, quæ non supponuntur, sed probantur, arg. eorum, quæ habentur à Glosa v. bona fides, cap. Si diligenti 17. de præscript. & cap. fin. de præscript. v. bona fide. Mala autem fides probatur *Primo*, si propria auctoritate locum sibi arrogauit quadam dexteritate, Couar. in Reg. Possessor §. 8. num. 3. vbi dicit, malam fidem probari per apprehensionem rei propria auctoritate. Dicerem tamen hic id procedere, quando religio soleret assignare loca religiosis aduenientibus, nam ille modus apprehendendi respicit res corporales, quæ alterius auctoritate apprehenduntur; præcedentia autem semper habet suum titulum, quæ est professio, sine qua præcedentia nullo modo præscribi potest. *Secundo*, igitur ille probatur esse in mala fide, qui comperitur nunquam profecisse. *Tertio*, mala fides dignoscitur, quando ambo in eodem loco, & tempore profecerunt, vel saltem nouitiatum præmiserunt, non enim possunt non ignorare tempus suæ professionis. *Quarto*, nullitas prouenies defectu consensus etiã ex vi, seu metu incusso probat malã fidem, quia ex quo non consensit in professionem, quam finxit, aut inuoluntarie emisit, dicitur cõscius eius inualidatis, ac proinde viuere in mala fide. Alij vero defectus, qui nõ pendent à voluntate Nouitij, presumũtur potius ignorari, quã sciri, cõsequenter in his nulliter professus cẽsendus est stare in bona fide. *Quinto*, lis mota aperte probat malam fidẽ, vt docet Rota decis. 4. de restit. spoliat. Verall. part. 2. decis. 27.

65 Notandum est, quod mala fides præsumpta intelligitur purgata, si constat possidentem fuisse in possessione per triginta annos, vt alijs citatis docet *Puteus lib. 1. decis.* 192. etiam de iure canonico ex doctoribus, quos ipse citat lib. 2. decis. 128. idẽ suadet Couar. in Reg. Possessor § 8. n. 3. Applica iuri præcedentiæ, cuius mala fides præsumpta purgatur legitimo tẽporis spatio, de quo infra.

66 Tertium, quod deueniens in malam fidem post tempus præscriptum iuste locum possessum retineat, probatur quia præscriptio legitime posita suum producit effectum, & facit possessorem continuare in iure aquisito in vtroq; foro, docent communiter tam Canonistæ, quam Theologi, *cum Angelo v. præscriptio n. 47. Silu. n. 13. vbi citat Scotum in 4. dist. 13. & D. Thomam quol. 12.*

art. 5. *Lessio lib.* 2. *cap.*6.*dub.*17. *Sayr. lib.* 9. *cap.*12.*dub.*10.*num.* 34. Quare professus retinet iuste præcedentiam, & alia iura consequentia contra alium prius professum taliter postea cognitum,& ita docet Peyrin.de Prelato q.3.cap.1.num.152.vbi subiungit, deuenientem in malam fidem nondum finita prescriptione teneri restituere alienam præcedentiam.

67 Quartum, quod vnus religiosus contra alium possit prescribere præcedentiam,suadetur, Tum quia nullibi prohibetur contra illos. Tum quia religiosis prohibetur præscriptio obedientię,cap. Cum non liceat 12.de prescript. & visitationis tantum,cap.Cum ex officijs 16. eod. ergo eisdem conceditur respectu precedentię, potest enim in his dari ignorantia, & bona fides circa prioritatem professionis, & eiusdem valorem.

Nec obstant adductæ in contrarium rationes, non prima, quę procedit respectu rei corporalis, seu pretio ęstimabilis, in quo sensu
68 loquuntur doctores ibi allegati; certorum vero iurium incorporalium, quę non sunt pretio æstimabilia professi sunt capaces, neq; respectu horum dicuntur mortui mundo, aut carere velle, & nolle,cum religiones suis professoribus huiusmodi iura incorporalia, & impretiabilia concedant. Faciunt, quę dixi Resol.43. num.13.Resol.85.q.10.num.50. Ex quo patet responsio ad primum argumentum initio quæstionis obiectum. Ad secundum ibidem propositum, licet non prescribatur contra obedientiam, cum de iure diuino debeatur superiori propter ipsius votũ, præscribitur tamen lex,constitutio,seu statutũ ex cap.fin.de consuet.

69 Quintum, quod prescriptio locum habeat siue sit mediata, siue immediata, probatur, quia prescribens eisdẽ actibus vtitur possessionis contra vtrosq; cum omnes tam immediatus, quam mediatus in eo genere possessionis precedentię illi subsint, ergo prescriptio contra omnes indifferenter currit.Quod intellige, quando omnes simul sunt in eodem loco respectu illius actus, quo primum cępta fuit possessio prælcribi; si enim aliquis intermedio tempore professus absit, qui mecum nunquam fuit in aliquo actu præcedentię, non dicor prescribere contra illum, quia cõtra ipsum nũquã cepi possidere immediate, neq;mediate precedẽtiã,ergo cõtra ipsũ prescriptio locũ habere nõ potest. Voco
70 immediatã prescriptionẽ precedentię,quã incipio possidere cõ-

tra

tra illum qui immediate ante me emisit professionem. Mediatam vero, quādo inter me, & illū, alij profecerunt intermedio tēpore.

71 Sextum denique, quod non sit necesse, vt semper simul nō maneant in eodem cōuentu, posita simultate respectu primi actus possessorij, suadetur. Tum quia per vnicū actum sedendi, suffragandi, &c. aquiritur possessio, ex adductis sub q. 13. & cōtinuatur sine interruptione, absentibus illis, contra quos aquisita fuit, non .n. est necesse, vt multiplicētur actus, ergo virtualiter perseuerat possessio in eo actu primo facto coram præscriptis, ex quo tēpore finito perficitur præscriptio. Tū quia incorporalia, cuiusmodi sunt iura præcedentię solo animo possidentur, & continuantur virtute primi actus, ex ijs, quæ habet Silu. v. Præscriptio n. 7. §. 11. Vers. Aut sumus. Tū quia facit simile de confessario regulari, qui admissus simpliciter, vel etiam per annum ad excipiendas confessiones, recedendo à diæcesi, vbi admissus fuit, & alio in conuentu collocatus de familia, si postea intra tempus reuertatur, vtitur iure suo, & facultate audiendi confessiones, sine noua approbatione, quia priorem approbationē per recessum nō perdidit, neq; interrupit, aut perturbauit, vt probaui Resol. 36. q. 8. n. 37. ergo neq; professus interrupit suam possessionem præcedentiæ, licet ad aliū conuentum transierit, remanente in priori conuentu, vel alio religioso contra quem pręscripsit. Hinc infero Disputatores in publicis circulis non posse allegare consuetudinem pręscriptam vnius cōtra alium, quando nunquam in concursu fuerunt in eisdē Disputationibus, quia consuetudo inter altercantes in contradictorio firmanda est ex l. Diuturna 33. ff. de legib. Quare si Religiosi vnius ordinis prætendant arguere primo loco contra alios alterius ordinis prætextu consuetudinis, errant, quādocumq; nullus vnius ordinis cōcursū habuit cū alio alterius ordinis in Disputationib.

72 Non autem, quod possessio, & pręscriptio tunc interrūpitur, quādo præscriptus infra tempus legitimum reclamat coram superiore petendo, vt sibi restituantur iura iniuste ablata; procedit hoc, quod reclamans vere probat locum contra rationem sibi ablatum fuisse, aliter non interrumpitur, quia non pręstat impedimentum, quod de iure non sortitur suum effectū ex Reg. 52. in 6.

Quæres 15. An præscriptio habet locum in præcedentia? Nota

73 autem quod potest quis ius alterius aquirere duobus modis,

dis, primo renuntiatione, seu cessione ab altero sibi facta; secundo per legitimam præscriptionem temporis.

74 ℞. Primo In aquisitione iuris præcedendi per renuntiationẽ, seu cessionẽ nullũ tempus requiritur, sed per primũ possessionis actũ renũtiarius, seu cessionarius dicitur sufficienter cõstitutus in per-
75 fecta possessione præcedẽtiæ, quia possessio alicuius rei per vnicum actum sufficienter aquiritur, *cap. Querelam de elect. Anchar. in cap. sine possessione, de reg. iur. in 6. n. 8. Alex. lib. 4. consil. 74. num. 16. Roman. consil. 311. Couar. in Reg. Possessor, initio num. 6. Tambur. tom. 2. decis. 1. num. 4. in terminis præcedentiæ.*

76 Dubiũ vero est, an dicatur cessio iuris, quando nullus interuenit actus formalis, & expressus renuntiationis, sed tantum tacet, & non contradicit ille, cui præcedentia aufertur, quando potest loqui, & reclamare?

Respondeo, quod quis post alterius locũ, & ius occupare *Primo*, ex amicitia, & vrbanitate, quod euenire solet inter amicos, & tunc nulla est proprie cessio, sed conniuentia, & tolerantia, quæ nullã inducit obligationem, vt probat Bariola consil. 29. in terminis huius materiæ. *Secundo*, intuitu hospitij, & honoris causa, neque in hoc apparet vlla renuntiationis ratio, quia id fit vrbanitatis causa, hoc autem modo facta nullam inducunt obligationem, l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. poss. ibi Legistæ, quos citat supradictus Bariola consil. 29. §. Respondetur primo. *Tertio*, ex speciali causa, vt si e. g. religio posterior inuitet alias ad aliquam specialem processionem, obtinet honorabiliorem locum, vt possit assistere, & custodire v. g. reliquias, quæ processionaliter deferuntur, neq; enim per hoc aliæ religiones antiquiores dicuntur posteriori cedere locum, sed tantum ex illa causa, quæ cum sit limitata, effectum quoq; limitatum producit. *Quarto*, quando sine vlla causa posterior prioris locum occupat ex mera voluntate, priore non contradicente, cum possit reclamare, in quo sensu non est formaliter, nec expresse cessio sui iuris, cum non appareat aliquis actus positiuus indicans voluntariam cessionem, sed tantum aliqua præsumptio, & dubitatio de
77 renuntiatione, sed cũ nullus præsumatur cedere iuri suo, Cephalus vol. 2. consil. 286. n. 29. Bald. in l. Labeo, §. sed etiam ff. de pactis, M. Ant. lib. 2. resol. 23. n. 14. ideo neq; hic locũ habet cessio;

verum

verum quoq; est, quod taciturnitas non habetur pro consensu in præiudicialibus, ex doct. super Regul. 43. in 6. quos magno numero allegat Barbosa Axiom. 217. num. 3. Præterquamquod dici potest, aliquando taceri ex causa, vt ad euitandum scandalum, & rixas, vt docet gl. in Reg. 45. in 6. vt accidit in processionibus, & alijs actibus publicis, in quibus prudentes personæ ex prædictis causis tacent, vel ex modestia, decentia, aut verecundia, ne ludibrio sint populo. In his casibus nullam video aquisitam possessionem pacificam, per quam occupator manutenendus sit in possessione, cum sit iuris alieni inuasor, & prædo.

78 Videtur ergo concludendũ, quando cessio non est formalis, sed censetur solum ex taciturnitate, requiri plures actus ex parte possidentis cum tolerantia, & patientia partis, vt possit censeri, & iudicari cessio iuris proprij; e. g. quod quis, aut religio contra aliam in pluribus actibus, aut processionibus alterius locum, seu ius occuparent sine contradictione, tunc enim illa taciturnitas multiplicata respectu illorum actuum cum temporis diuturnitate videtur sufficienter arguere cessionem iurium, ac proinde possessionem pacificam; & id forsan est quod dicit Fabius Anna consil. 40. apud Carenam de S. Officio part. 1. tit. 8. num. 15. in iudicio nimirum possessorio non requiri consuetudinem iuris, hoc est, decennium possessionis, sed sufficere possessionem facti, videlicet, sic fuisse seruatum in certis actibus. Et hoc michi multum placet, quia tempus à lege signatum pro præscriptione non extenditur ad hunc casum, in quo alia est ratio, nam sic possidens non se tuetur titulo præscriptionis, sed cessionis, quæ temporis præscriptione non iustificatur, sed plurium actuum exercitio non interruptorum contradictione cedentis, qui illius consensum tacitum indicant.

Pro resolutione secundi, hoc est, de tempore, quo præscribitur pre-
79 cedentia. Pręmitto primo precedentiam spectari dupliciter. *Primo* prout dicit, & importat precise formam sine fructu, cuiusmodi est pręcedentia consistens non solum in sessione, locutione, responsione, in cantu antiphonę pronuntiandę, in dando suffragium in capitulo, seu congregatione, & similibus, in quibus nullum accedit emolumentum, fructus, aut redditus. Secundo prout importat emolumentum, & commodum, seu quod-

uis aliud pretio æstimabile, quod non habet locum inter religiosos.

Præmitto secundo nonnulla, quę spectant ad materiam Præscriptionis prout spectat ad rem nostram maxime respectu religiosorum. Accipe sequentia.

80 Triennio præscribuntur, seu proprius vsucapiuntur mobilia, inter præsentes, quadriennio inter absentes, etiam ecclesiæ Instit. de vsucapt. l. Vn. C. de vsucapt. transfor. de rebus ecclesiæ ex Auth. relata in cap. penult. & fin. 16. q. 3. præter bonam fidem requiritur in his titulus. Decem refert titulos Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 7. solutum, emptum, transactum, hereditate habitum, donatum, derelictum, legatum, in dotem datum, habitum, & sententia iudicata, & suum. Quando carent titulo requiritur spatium triginta annorum.

Triennio etiam Episcopus contra Episcopum præscribit locum ad fidem conuersum, quod non est verum, quando vacat ecclesia, vel est in schismate cap. 1. de præscript.

Triennio præscribitur beneficium sine simonia possessum pacifice ex Regul. Cancell. etiam quo ad proprietatem, vt docent glossatores.

Quinquennio subiecta fisco ob non solutum vectigal, vel quid simile præscribuntur à reo, vel eius hæredibus contra actionem fisci, ita quod si infra quinquennium à die commissi criminis non petantur, euanescit ius fisci l. 2. C. de vectigal.

81 Quinquennio pręscribit religio nulliter professum incipiendo à die emissæ professionis, ita quod vltra illud tempus religiosum sibi obligat, si bona fide semper putauit illum esse vere professum, vt colligitur ex Tridentino cap. 19. sess. 25. de quo quinquennio fuse Sanchez lib. 7. disp. 37. Scrofa dub. 19. num. 5. in terminis pręscriptionis, vbi dicit religiosum iam pręscriptum resilire non posse saltem quo ad forum externum, & bene dicit. Nec obstat, quod homo pręscribi non posit vt fiat seruus, ex Instit. de Vsucapt. quia natura hominem effecit liberum, ergo ratio non patitur, vt ex errore fiat seruus, qui vere talis non est. Quia in casu nostro homo libere se subijcit seruituti religionis, quod proprie seruitus non est, sed spiritualis libertas, quia seruire Deo regnare est.

Decen-

Decennio pręscribuntur immobilia priuatorum cum titulo inter pręsentes, inter absentes viginti,& sine titulo requiritur spa tium triginta annorum. Ita doctores in cap. Sanctorum de præscript. Instit. de Vsucapt. l.Cum in lungi C.eod.

Quadraginta annorum spatium requiritur ad pręscribendam quar-
82 tam, & funeralia contra Episcopum, cap. De quarta 4. de præscript. item vna ecclesia in parochia alterius eodem spatio decimas præscribit, cap. Ad aures 6. eod. Hoc tempus currit contra ecclesiam non Romanam, & interruptio obiecta probatur per vtrumq; cap. Illud 8. eod. Pariter eodem spatio præscribuntur fines prædiorum cap.Quia 9.eod.

Centenaria præscriptione gaudet solum Ecclesia Romana,cap. Ad audientiam 13.cap. Cum nobis 14. ead.

Regulares gaudent quadragenaria de iure, cum eorum bona sint
83 ecclesiastica, consequenter debent ea vti, cap. Possessiones 8.q. 3. cap. Volumus ead. Gratianus ibidem & q. 4. ait præscribere etiam contra aliam ecclesiam. Tambur. tom. 1.disp.19. q. 4.vbi num.3.de iure priuilegiorum requiritur sexagenaria ad præscribendum contra ecclesiam Abbatialem, ac proinde alias quasq; regulares in vim communicationis priuilegiorum, quæ ipse adducit. His præscriptis, redeundo ad nostram quæstionem.

Videtur, quod præscriptio non habeat locum in materia præce-
84 dentię, Primo, quia præscriptio est ius possidendi arguens actum proprietatis, vt omnes docent in hac materia, vnde dicunt, quod possessio est pars proprietatis l.4.de vsufr.Glos.v. Causa cap. Pastoralis, de causa possess. & possessio debet fieri nomine proprio, Less. lib. 2. cap. 6. num. 5. Sed religiosus nichil possidere potest nomine proprio, nec aliquem proprietatis actum facere potest, vt id apud omnes certum est, ergo nichil alterius præscribere potest. Et ita docent ibidem Sayr. lib.9. cap.12. num.9.Bonac. disp. 1. de contract. q. fin. p. 2. §. 2. num.7. & alij communiter. Secundo dixi in præcedenti quæstione, pręcedentiam esse ius publicum, & in religionibus ordinari per constitutiones, & statuta illarum, & eius obseruantiam subijci obedientiæ superiorum; sed constitutiones, statuta, & obedientia præscribi non possunt à religiosis, cap. Cum non liceat 12.cap. Cum ex officij 16. de præscript. ergo neque præcedentia, quibus tamen non obstantibus.

85 ℞. Vnus religiosus siue valide, siue inualide professus potest præscribere iura præcedentiæ, & eam consequentia supra alium religiosum prius professum, quando incipit bona fide sedere in loco digniori, vel facere aliquid aliud vti prior professione, vel alio titulo altero professo ipso reuera priore, & hoc spatio quinq; annorum, si sit præcedentia solius fumi sine iurisdictione, & vtilitate, quo finito, licet deueniat in malam fidem, hoc est, deueniat in cognitionem se posterius profecisse, aut nulliter emisisse professionem, adhuc continuare poterit in ea possessione sine peccato, quod verum est licet toto illo quinquennij spatio in eodem conuentu simul cum illo moratus non fuerit, contra quem præscripsit, sed sufficit, quod per aliquem actum sedendi, consulendi, suffragandi, &c. se posuerit in possessione precedendi per illos actus. Procedit etiam contra alios intermediantes, qui in eodem conuentu simul cum illo concurrunt ad aliquem ex dictis actibus.

Primum, quod religiosi possint præscribere suam professionem con-
86 tra alios prius professos, probatur, quia in iure communi nullibi prohibetur huiusmodi præscriptio tam actiua, quam passiua, ergo illis non est neganda. Confirmatur, quia in his potest dari probabilis ignorantia, & bona fides. Nec obstant in contrarium adductæ rationes, non prima, quæ procedit respectu rei quæ peculium est, aut aliud pretio æstimabile, in quo sensu loquuntur doctores citati; horum vero iurium incorporalium, quæ non sunt capacia possessionis proprie dictæ, sed tantum improprie, & quasi possessionis, religiosi capaces sunt, quia peculium non sunt, nec quid pretiabile, nec dicuntur mortui mundo, aut carere velle, & nolle respectu illorum, cum religio illis huiusmodi iura incorporalia, & impretiabilia concedat, & faciunt, quæ dixi Resol. 43. & Resol. 53. num. 14. & 31. & Resol. 85. num. 50. & 51. Ex quo patet responsio ad primum argumentum in contrarium. Ad secundum licet non possit præscribi contra obedientiam ex citato cap. & alijs, vt refert Scrofa in suis Solution. Moralibus q. 29. ad finem, præscribitur tamen contra legem cap. fin. de consuet. ac etiam consequenter à statutis, nisi expresse prohibeatur.

87 Secundum, quod pręscriptio habeat locum tam respectu pro-

fessionis validæ, quam inualidę, probatur, quia præscriptio nititur titulo aut vero, aut pręsumpto, & putato vero, & realiter valido cap. Si diligenti 17. de pręscript. iuncta glosa fin. Sayr. lib. 9. cap. 12. dub. 5. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 8.

88 Tertium, quod debeat pręcedere bona fides, patet ex dictis in declaratione definitionis, quia bona fides est credulitas, per quam possidens putat rem, quæ est aliena, esse suam, aliter si scit esse alienam pręscribere non potest vti possessor malæ fidei qui nunquam pręscribit ex ibidem adductis. Quare credens se esse priorem professione alio professo dicitur iuste possidere pręcedentiam supra illum, quia habet titulum iustum, qui est ipsa professio radix, & fundamentum pręcedentię, & bonam fidem credendo se prius illo professum fuisse.

89 Quinto, mala fides non pręsumitur, cum sit de genere delictorum, quæ non supponuntur sed probantur, arg. eorum, quæ habet Glos. v. Bona fides cap. Si diligenti 17. & cap. fin. de pręscrip. v. Bona fide. Probatur autem mala fides in casu nostro primo si propria autoritate sibi locum arrogauit quadam dexteritate, ex
90 Couar. in Reg. Possessor §. 8. num. 3. vbi dicit malam fidem probari per apprehensionem rei propria authoritate, dicerem tamen hic id procedere, quando religio soleret assignare loca religiosis aduenientibus, & ille modus apprehendendi facit in reb. corporalibus apprehensis de facto sine aliquo titulo; præcedentia autem semper habet suum titulum professionis, sine qua nullo modo præscribi potest præcedentia, vnde secundo in eo probatur mala fides, qui comperitur nunquam profecisse. Tertio mala fides probatur, quando ambo in eodem loco fere eodem tempore profecerunt, vel nouitiatum pręmiserunt, non enim videtur tempus ignorare. Quarto nullitas proueniens defectu consensus ex vi, & metu incusso probat malam fidem, quia ipso quod non consensit in professionem, quam finxit facere dicitur conscius eius inualiditatis, ac proinde viuere in mala fide; alij vero defectus, qui non pendent à consensu nouitij, præsumuntur potius ignorari, quam sciri, consequenter iudicandus est existere in bona fide credendo valere alias nullam professionem. Quinto litis motio aperte probat malam fidem, & hęc ab illa incipit, vt docet Rota decis. 4. de restit. Spoliat. Verall. part. 2. decis. 27.

91 Mala fides probata contra præscribentem purgari potest, & probari bona, si constet, possidentem fuisse in possessione per triginta annos, vt ex Abbate tradit Puteus lib. 1. decis. 192. etiam de iure canonico ex doctoribus, quos ipse allegat lib. 2. decis. 128. quod & multis citatis probat in Reg. Possessor Couar. §. 8. num. 3. Sic in casu nostro præcedentia per triginta annos præscripta etiam cum mala fide iuste retinetur, quia illud temporis spatium purgat illam malitiam, & facit bonam fidem.

92 Quartum, quod pręcedentia præscribatur spatio quinquennij, suadetur, Tum quia hoc eodem spatio præscribit religio professum inualide ab ea putatum vere professum intra illud spatium, & vice versa professus contra religionem præscribit ne expellatur, vt colligitur ex Trident. cap. 19. sess. 25. dum disponit nulliter professum non esse audiendum post illud tempus, de qua re fuse Sanch. lib. 7. disp. 37. ergo & præcedentiam ex professione consequentem, ad quod facit ea regula. Accessorium sequitur naturam sui principalis, quare si principale pręscribitur quinquennio, etiam accessorium; accessorium enim iudicatur secundum terminos rei, cui adijcitur, l. Grege ff. de legat. 1. l. Peculium ff. de legat. 2. Bald. in l. Si conuenerit 2. §. Si nuda ff. de pign. num. 2. Nec negari potest illi ratio accessorij, cum in ea incipiantur eius conditiones. Tum quia esto ne esset accessorium præcedentia, sine dubio est effectus professionis, quod nemo negat, cum ab ea originem trahat; sed effectus trahitur ad naturam suæ causę l. libertam C. de nupt. & ab ea regulatur l. 2. C. de aquir. possess. Tusch. lit. E. concl. 49. ergo tantam præscriptionem requirit præcedentia, quantam habet professio. Tum quia in iure diuersa tempora præscriptionib. apponuntur ex diuersitate rerum, quæ possunt præscribi, & in specie pro præcedentia nullum assignatur, ergo standum est prædicto assignato professioni, quæ illius est origo, fundamentum, & causa; Ita docet in terminis Scrofa dub. 19. de Inualid. profess. num. 4. 5. & 10. Resp. 3. contra Peyr. de Prælato q. 3. cap. 1. §. V. num. 152. requirentem spatium triginta annorum requisitum in pręscriptione iurium personalium secundum Angel. v. Præscriptio 42. Sed ibi sermo est de seruitutibus, respectu quarum assignantur diuersa tempora, vt videre est etiam apud Silu. v. Præscriptio num. 7. §. Vndecimo, ergo

& professionis tempus præscriptionis assignare possumus præcedentiæ congruentius, quam stare illis temporibus diuerso modo iuxta conditiones iurium personalium præfixis, cum etiam in illis quinquennium habeat locum, vt præcitati docent, & supra retuli in alio casu. Contra Riccium part. 1. resol. 563. & part. 3. resol. 272. num. 3. asserentem præcedentiam aquiri per consuetudinem decennio præscriptam etiam de iure canonico, vbi citat Aretinum consil. 23. num. 11. Grammat. decis. 64. Marzar. consil. 76. num. 34. Anna vol. 1. consil. 40. Sed eos concordamus dicendo in causa professionis inter regulares sufficere quinquennium, in alijs requiri decennium, vbi non agitur de iurisdictione cum vtilitate.

93 Quintum, quod professus post quinquennium deueniens in malam fidem potest continuare licite præcedentiam iam iure præscriptionis aquisitam, probatur, quia præscriptio legitime posita suum producit effectum in vtroq; foro, vt docent communiter
94 tam Canonistæ quam Theologi, cum Lessio lib. 2. cap. 6. dub. 17. Silu. v. Eodem num. 13. citans Scotum in 4. dist. 15. & D. Thom. quol. 12. art. 5. Angel. num. 47. Sayr. lib. 9. cap. 12. dub. 10. num. 34. Quare professus iuste retinet præcedentiam, & alia iura contra prius reuera professum taliter cognitum, & ita docet Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 1. §. 5. num. 152. vbi subiungit, nondum finita præscriptione deuenientem in malam fidem teneri restituere alienam præcedentiam, sed ego crederem professum non teneri
95 propria voluntate restituere, sed esse cogendum à iudice, quia etiam prædo manutenendus est in possessione, ita quod ab aduersario propria authoritate deijciendus non est, qui licet non sit melioris conditionis in hoc, quam iustus possessor, est tamen paris l. Non solum 13. de noxal. Confirmatur, quia debitum fisco licet cum mala fide non est restituendum, sed expectandum est, quod ab eo auferatur per iudicem, sic potiori ratione professus non tenetur offerre præcedentiam ab initio bona fide cæptam possideri maiori se, sed prælati iussionem expectare potest, & fauet Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 66. dum dicit ratificantem professionem posse sibi retinere præcedentiam, quam ante mala fide habebat. Restitutionem autem huius præcedentiæ ex mala fide prouenientis, quia ideo nondum legitime fuit prescripta superior localis facere potest.

96 Sextum, quod non sit necesse manere simul pręscribentem, & præscriptum in eodem conuentu toto tempore illius quinquennij, sed sufficiat per aliquem actum sedendi, suffragandi, &c. incepisse possessionem, probatur, Tum quia per vnicum actum aquiritur possessio rei etiam in materia pręcedentiæ ex adductis sub q.3.§. primum. Tum quia incorporalia, cuiusmodi sunt iura pręcedentiæ, solo animo possidentur, & continuantur primo actu exercitij posito, ex ijs, quæ habet Silu.v. Præscriptio num.7.§.11. Vers. Aut sumus, &c. Tum quia facit simile de confessario regulari, qui admissus simpliciter ad audiendas confessiones, recedendo à diæcesi, & alibi contrahendo domicilium, si postea reuertatur ad eamdem dięcesim, vtitur iure, & facultate acquisita audiendi confessiones, quia illud ius per discessum non amisit, nec interrupit, vt probaui Resol. 36.q.8.num.37. ergo neq; professus interrupit suam possessionem præcedentiæ, licet ad alium conuentum transierit, remanente in priori conuentu religioso contra quem præscripsit.

97 Septimum, quod predicta procedant etiam contra alios intermedios, certum est, quia ijsdem actibus possessionis vtitur contra intermedios, quos adhibet contra immediatum, cum omnes in eo genere præcedentiæ illi subsint, ergo præscriptio contra omnes currit; quod semper intellige, quando omnes simul sunt in eo primo actu, quo cæpta fuit possessio pręscribi, si enim aliquis intermedio tempore posessus absit, qui mecum nonquam fuit in aliquo actu pręcedentiæ, non dicor pręscribere contra illum, quia contra ipsum nonquam cępi possidere immediate, neq; mediate, ergo contra ipsum pręscriptio locum habere non potest, non enim sine possessione præscriptio dari potest, cap.3. de reg.iur.in 6.

Quid dicendum est respectu Regularium, qui habent priuilegia, vt eorum bona, & iura non pręscribantur, nisi elapso sexaginta annorum spatio? ita concessum fuit Benedictinis ab Eugenio IV. Bulla 7. apud Rodr. in suo Bullario pag.81. incip. *Et si ex debito*,
98 immo centenaria præscriptio eorum conuentui, seu monasterio S. Pauli extra muros Vrbis concessa fuit ab eodem Bulla 17. incip. *Ex Apostolicæ Sedis*, apud eumdem Rodr. fol. 94. quæ priuilegia commuicant religiosi aliorum ordinum tam Mendicanti-

um,

verũ,quã non Mendicantium, vt docet idem Rodr.tom.3.q.35. art. 2. & cum eo alij omnes, numquid vnus religiosus contra alium, vnus ordo contra alium non potest præscribere nisi transacto centum annorum spatio? cum præscriptus posset semper opponere non transisse hoc grande spatium centum annorum?

℞. Huiusmodi priuilegia non facere pro iure præcedentię, nam loquendo de præcedentia vnius personæ contra aliam, impossibilis est huiusmodi præscriptio, quia rari sunt illi homines, qui ad centum annos viuunt, præterquamquod exercitium præcedentię in adultis presertim spectatur, non in pueris, & in religionibus post sexdecim annos. Posset locum habere respectu vnius ordinis ad alium, & successoris, nihilominus hoc modo ea priuilegia non iuuant, quia referuntur ad bona, & iura pretio æsti-
99 mabilia; & illud de centenaria prescriptione non est communicabile propter suam specialitatem, ideo enim illi monasterio concessum fuit hoc priuilegium, quia est speciale membrum Sedis Apostolicæ, & propria Romani Pontificis sedes, vt expresse dicitur in ea Bulla, ergo communicabile non est.

Lezana tom. 1. cap.3.num.17.& ex ipso Scrofa in suis solutionibus
100 Moralib. q. 23.num.13.§. Contra est primo, se facile expediunt, dicendo sub dubio, forsan illa priuilegia fuisse viuæ vocis oracula; sed reuera constat esse Bullas autenticas, Rodr.in Bull. & Compēd. Theatin. v.Prescriptio,citat Bullam Pauli III.incip. *Benignitas*, 17. in B. N. concedentis Cassinensibus prælibatam centenariã;nõ sunt ergo oracula viuæ vocis,sed Bullę Autenticę.

Quæres 16. An laicus cuiuscumq;conditionis, & gradus possit prescribere iura precedētię cõtra ecclesiasticũ cuiuscũq;cõditionis?
101 ℞.Negatiue, Tum quia nullus laicus prescribere potest res ecclesiasticas, inter quas computatur etiam præcedentia,illud patet ex iuribus allegatis à Sayr.lib.9.c.12.Tũ quia inhonestum,&
102 absurdum est, quod maior subsit minori, gl. v.Exemptum cap. Cum inferior de maior.

Quæres 17. An bona fides, & titulus requirantur in præscriptione
103 præcedentię? Nomine bonę fidei venit credulitas, per quam quis rationabiliter putat sibi conuenire ius precedentię.Nomine vero tituli venit illud,quo fundatur ius precedētię,vt sacerdotiũ,
104 professio, incorporatio in collegio, &c. alius dicitur verus,

quando

quando nimirum adest verum sacerdotium, professio valida,&c. alius præsumptus, cum nempe inualidus est, sed putatur verus.

℞. Vtrumq;requiritur, de bona fide constat ex dictis q.14.§.secun-
105 dum. De titulo saltem putatiuo constat ex eo, quod nullus potest prætendere præcedentiam, nisi munitus sit fundamento, à quo exurgit, & pendet ius præcedendi, & id vocatur titulus,vn-
106 de fit, quod nouitius nullam potest habere prætensionem præcedentiæ cum professis, quia caret fundamento, & titulo iuris præcedendi,quod est professio, de qua re infra suo loco. Item nō sacerdos præcedere non potest inter sacerdotes, immo fingens se sacerdotē,vel professum, nullo vmquam tempore præscribere potest præcedentiam cum alijs, quia nullum habet titulum, nec coloratum. Idem dic de fingente se incorporatum collegio; & in his nulla difficultas.

Quæres 18. An Appellatio locum habeat in materia præcedentiæ?
107 Appellatio est prouocatio à minori iudice ad maiorem prætextu iniquæ sententiæ,l.Præfecti ff.de minor.illa producit duos effectus, interdum simul, aliquando vnum sine alio,vnde duplex
108 est, vna vocatur suspensiua,altera deuolutiua;per effectum suspensionis iudex à quo nihil innouare potest,cum per appellationem suspendatur illius iurisdictio;per effectum deuolutionis cognitio causæ refertur ad iudicem, ad quem fuit appellatum, vtrumq;colligitur ex l.Furti ff.ad Turpil.l. Præcipimus, l. Eo casu ff.eod.Vide,quæ dico Contr. 34.q.10. His notatis.

℞. Appellatio locum habet in materia præcedentiæ quo ad vtrum-
109 que effectum tam suspensiuum, quam deuolutiuum, exceptis causis processionum tam viuorum, quam mortuorum, in quibus non datur appellatio suspensiua,sed tantum deuolutiua.

Primum constat ex eo quod nullibi in iure prohibetur quantum ad effectum deuolutiuum, ergo admittenda est. Confirmatur, quia iura concedunt appellationem ad tollendum grauamen appellantis, quod est conforme iuri naturæ, quæ nulli negat defensionem iure debitam. In terminis præcedentiæ ita docet Scrofa in libello de inualid. profess. dub. 27. Facit Decis. 115. apud Tambur.

Secundum, quod appellatio locum non habeat in præcedentijs res-
110 pectu processionum, aperte habetur in Tridentino sess.25.cap. 13.

13. ibi: *Amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumq;* Quæ remouetur etiam in Bulla Gregorij XIII. incip. *Exposcit Pastoralis.* illis verbis: *Quibuscumq; reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis.* Hanc appellationem restringunt quod ad ef-
111 fectum suspensiuum, ita quod quo ad deuolutiuum possit fieri appellatio ab Episcopo, ita docent plerique allegati à Barbosa super dictum cap. 13. sess. 25. num. 9. cum quibus ipse sentit de potestate Episcopi part. 3. Alleg. 78. num. 26.

Prædictis obstat doctor Ioannes Rubeus apud prædictum Scrofam eo dub. 27. asserendo in Tridentino agi de omni genere præcedentiæ, & non tantum processionum, consequenter appellationem quo ad effectum saltem suspensiuum locum non habere respectu cuiuslibet præcedentiæ. Quod videtur posse probari per textum Tridentini, illis verbis: *Controuersias de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam seculares, quam regulares, cum in processionibus publicis tam in ijs, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & alijs similibus, Episcopus, amota omni appellatione, &c.* Particula autem, *& alijs similibus*, referri videtur ad quoscumq; alios actus, in quibus potest habere locum præcedentia. Sed hæc non obstant, adhuc enim referuntur ad alios actus ordinatos ad processiones quascumq; consequenter præcedentia, de qua fit mentio in Tridentino limitatur, & restringitur ad præcedentiam processionalem tantum, vt bene Scrofa ibi. Confirmatur, quia Episcopus nullas potest componere controuersias religiosorum eiusdem monasterij vel diuersorum extra casum processionum, sed id spectat ad suos superiores regulares, & hoc certissimum est.

Hæc autem appellatio inter Regulares eiusdem Ordinis, & Pro-
112 uinciç fit à superiore locali ad Prouincialem, seu etiam ad Generalem, quando duç Prouinciç eiusdem ordinis altercantur ad inuicem recurritur ad Summum Pontificem, quia super controuersia solus Generalis ius dicit, vnde ab hoc prouocatur ad pedes Sanctissimi, si iniqua fuit sententia.

Quçres 19. An restitutio in integrum habeat locum in materia
113 prçcedentiç? Notandum, restitutionem hanc esse remedium

legale,

legale,quo læsus finita præscriptione vti potest, auxilium iudicis implorando,qui præscriptum restituat dominio,& possessioni rei ab alio occupatæ. Hoc beneficium conceditur minoribus intra annum vigesimum quintum completum, & ecclesiæ,in hoc enim pares sunt; quod procedit, licet præscriptio fuerit quadragenaria, & legitime finita, & licet scientiam habuerit præscriptus læsionis antequam finiretur tempus,intra quod potuisset interrumpere præscriptionem iure ordinario. Couar. in Reg. Possessor, part.3.§.3.Lessius lib.2.cap.6.dub.fin.& in prædictis omnes doctores conueniunt. Maioribus vero non conceditur hoc beneficium, nisi contra præscriptionem viginti annorum, aut minoris temporis, ex l.1. §.fin. ff. ex quibus causis maior. Couar.cit.negans hoc remedium maioribus vigintiquinq; annis contra præscriptionem triennalem, quadragenariam, & à fortiori maioris temporis secundum communem opinionem, quia restitutio in integrum non datur contra præscriptionem inducentem plenissimam securitatem, gl.in l.Prætor ait, §. Permittitur,ff.de minor. v.imputandum; hanc autem securitatem inducit præscriptio tricennaria,& maioris temporis, l.omnes, C. de præscript. trigesl.l. fin. C. de fund. patr. lib. 11. Eisdem quoq; maioribus negatur, quando ante finitam præscriptionem habuerunt scientiam læsionis, & quia poterant vti remedio ordinario; & quia poterant interrumpere præscriptionem; & quia maioribus restitutio conceditur,si iusta subsit causa ignorantiæ,quæ abest per positionem scientiæ,doctoribus allegatis docet idem Couar. qui §.10.dicit, maioribus concedi quadriennium à tempore finitæ præscriptionis petendi restitutionem in integrum. De illo quadriennio habetur l. fin. C.de temp. in integrum restit. cap. 1. & 2.eod.in 6. Clem. eod. tit.glosa pen.& vlt. Vide Sanch. lib. 7. disp. 37.q.3. de restituendo professo nulliter post quinquennium reclamante.

His notatis,quæstio nostra duplicem habet difficultatem.Prima est, an præscriptus post tempus finitum possit petere hanc restitutionem, & infra quantum tempus à finita præscriptione? Secunda est, an superior teneatur præscriptum cum læsione audire, & facere iustitiam?

℞. Professus ratione præcedentię lęsus non obstante præscriptione 14 quinquennij, aut quadrigenij aduersum se completa potest

petere

petere restitutionem sui iuris præcedentię; & hoc infra quadriennium à finita præscriptione computandum. Prælatus non tenetur illi concedere hoc beneficium, nisi velit; hanc autem gratiam facere non possunt, nisi maiores, vt in religionibus Prouincialis, & Generalis.

Prima pars, quod læsus in præcedentia possit petere integralem restitutionem non habet difficultatem, quia quilibet læsus respectu cuiuscumq;rei potest implorare auxilium iudicis, id enim est species defensionis, qua quisq; procurare potest restitutionem sibi faciendam de ablatis. Peyrin. de Prælato q. 3. num. 152. ex illo Tambur. tom.3.disp.6.q.17.num.13.

Secunda de quadriennio patet ex notabili;illud autem tempus currit præcise numerando à finita pręscriptione, non autem a die scientiæ, vt aperte colligitur ex citatis iuribus, pręsertim Clem. ead.

Tertia pars, quod iudex non teneatur restituere lęsum si nolit, probatur. Tum quia legitima pręscriptio à iure concessa respectu pręscribentis est ius fauorabile; respectu vero præscripti est ius odiosum & pęnale à lege inductum aduersus negligentes; sed iudex non tenetur remittere pęnam, ergo. Tum quia hoc beneficium conceditur solum, vbi læsio est valde enormis, Puteus lib. 1.decis.63.num.7. cap. Ad nostram 11. de reb.eccles.non alien. vbi glosa v.enorme, gl. v.detrimentum cap.1. de restit. glosa. v. læsa cap.2.eod.in 6.in casu nostro pręcedentię non video valde enormen lęsionem, quando est de solo fumo. Est contra pręcitatos Peyrinum, & Tambur.

Quarta demum pars, quod spectet ad Principem, seu maiores superiores, probatur per cap.penult.eodem, iuncta gl. v.incidenter, quia licet superiores locales sint ordinarij, tamen non habent cognitionem causarum, nec dicuntur maiores iudices, quos exigit ea glosa; & apud laicos restitutio fit solum per Principem, &c.

Quæres 20. An pręscriptio pręcedentię interrumpatur mutatione personę? Exemplum sit: Rector ecclesię N. cępit pręscribere iura pręcedentię contra N. & mortuus est, seu amotus fuit à Rectoria, an nouus Rector adueniens prosequatur legitime ceptam pręscriptionem? Idem queritur de quibuscumq; officialibus habentibus successorem.

115 ℟. Non interrumpitur, quia nouus Rector, seu officialis succedit in omnia iura sui prædecessoris, Doct. in Reg. 46. in sexto 15. qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille vti debet. Ratio est, & quia reputatur vna persona cum prædecessore, glos. v. viueret, fine, cap. Significauit 36. de rescr. gl. v. contra, cap. Dilecti 17. de foro comp. & quia successor est quasi hæres prædecessoris, gl. v. Prædecessoris cap. 1. de solut. per cap. Conuenior 23. q. 8. cap. fin. 12. q. 2. & sicut successor succedit in onere, ita & in honore, cap. Aduersus 7. de immun. & successor idem est cum eo, quem repræsentat, l. Proponebatur, §. & populum ff. de iudic. Demum prescriptio non interrumpitur, si beneficium fuit successiue possessum à pluribus clericis, cap. Cum de beneficio §. de præbend. in 6. Infertur ergo ex his succedentem in officio continuare cœptam prescriptionem precedentiæ, quando aliud non obstat. Nec vrget tempus intermedium, quo ecclesia, vel monasterium vacat officiali, quia tunc secundum iura præscriptio dicitur dormire, arg. l. Sicut, C. de præscript. trig. ann. vbi dicitur, quod cœpta præscriptio contra defunctum, cui pupillus successit, dormit, dum est in pupillari ætate; preterquamquod modicum tempus non interrumpit præscriptionem, Tiraquel. de iudic. in rebus exiguis num. 80. & 81.

Quæres 21. Quomodo intelligatur Reg. 54. in 6. *Qui prior est tempore potior est iure.* in ordine ad precedentiam? Vide Riccium par. 3. resol. 270. vbi late de hac re.

116 Respond. Hæc Regula locum habet in materia præcedentiæ in sententia omnium doctorum infra citandorum, *Primo*, quando in collegijs, congregationibus, & alijs similibus locis communitatis ita reperitur ab initio statutum, aut consuetudine, & vsu introductum, vt constat ex dictis supra q. 8. & 10. fine. *Secundo*, locum habet, quando concurrentes sunt pares ordine qualitatis, Cephal. consil. 615. num. 25. Catalog. part. 7. consid. 46. & ita intelligitur l. 1. C. de consil. lib. 12. l. 1. C. de præpos. sacr. cubic. eodem lib. ratio prædictorum est, quia ex prioritate temporis, quando nihil obstat, oritur prærogatiua dignitatis, l. Honores ff. de decur. l. fin. C. de tiron. lib. 12. Imola in cap. 1. de maior. Confirmatur, quia non est maior ratio, cur inter pares præferatur magis vnus quam alter, nisi tunc attendatur prioritas

temporis.

temporis. In his ergo duobus casibus prioritas temporis locum habet.

Prioritas vero temporis non attenditur, sed fallit *Primo*, quando aliter iure determinatur, Nauar. consil. 10. de maior. ad finem. *Secundo*, quando concurrentes pares non sunt, quo ad qualitatem, tunc enim maior in qualitate licet posterior prefertur priori præcise secundum tempus, nam ordo duplex est temporis, & qualitatis, & ordo qualitatis semper præfertur ordini temporis, nisi obstet statutum, vel consuetudo, ea ratione, quia qualitas tamquam forma virtutis dignior, & honorabilior est ipso tempore, quod vt sic ruditer spectatur tamquam quid materiale non eleuans personam, sicut facit qualitas virtutis. Vide Catalog. part. 7. consid. 46. Igitur tempore posterior præfertur priori tempore, quando habet qualitatem, & maioritatem causæ, ac proinde potiora iura, vt omnes docent cum Roman. consil. 133. num. 10. Bursat. lib. 4. consil. 344. M. Anton. lib. 1. resolut. 81. num. 8. Riccius par. 3. resol. 273. idem tradit gl. v. præferri, cap. Susceptum, 6. de rescr. in 6. dum dicit, fallere regulam, quando potior est causa posterioris; & quando non est paritas personarum, Grilenz consil. 50. num. 116. Fallit *tertio*, quando dignitas à Principe confertur, cap. Quodam 4. de prębend. in 6. cap. Authoritate 7. de conceß. præbend. in 6. Pro secunda fallentia faciunt dicta sub q. 10. de præferendo magis digno minus digno.

117 Nota hæc axiomata. Prior nominatus censetur magis dilectus, l. si communis seruus 2. ff. de stipul. seru. cap. si quis, de elect. in 6. Thomaset. reg. 235. vbi declarat procedere in fauorabilibus, vel in re indifferenti, non autem in materia odiosa. Prior nominatus alios præcedit, Nauar. consil. 10. de maior. num. 1. Prior descriptus dicitur dignior, l. 1. ff. de albo scrib. Paris. vol. 4. cons. 38. num. 1. apud M. Anton. lib. 1. resol. 81. num. 1. Pior in dignitate est etiam prior in honore, l. Qui balenum ff. qui potiores in pign. habeantur, Bartolom. Perettus in extrau. Ambitiosæ, de reb. eccl. non alien. §. Datum Romæ num. 21.

Quæres 22. An super præcedentia possit fieri concordia?

117 ℞. Negatiue sine licentia superioris, cum enim spectet ad ius publicum, ac proinde non possit renuntiari, nec fieri concordia, aut transactio, quæ habet aliquam similitudinem cum reuuntiatione, quæ locum non potest habere in materia præcedentiæ, iuxta dicta q. 4. & 5. Ita docet Seraph. decis. 22. nnm. 2. apud Fratrem Illuminatum de Obseru. virum doctum Resp. 5. num. 7.

Quæres 23. An liceat armata manu defendere propriam præcedentiam contra volentem sibi illam vsurpare?

118 ℞. Armata manu potest resisti secundum Baldum, l. obscurare, §. Antequam, ff. de offic. proc. Menoch. lib. 3. consil. 257. num. 55. quos refert Moronus Resp. 5. num. 7. Intellige modo habeat clarum ius, & iam aquisitum. Intellige potius ad terrorem, quam quod damnum personæ inferatur. Inter regulares nullatenus id licet, sed recurrant ad superiores suos, præmissa protestatione, quod non intendunt sibi præiudicari. Vide Riccium par. 1. resol. 569. qui num. 2. ait, occidentem aduersarium prohibentem ne sedeat in loco solito non posse puniri pœna ordinaria.

Quæres 24. An materia præcedentiæ dicatur materia odiosa, in quantum circa eam non sit facienda interpretatio extensiua?

119 ℞. Est odiosa, ac proinde non extendenda, vt decisum refert prælibatus Pater Moronus in vna Asten. sedis 37. Febr. 1589. coram Gyptio, & Gratian. discept. 298. dicit, quod ius prælationis non perditur eo non vtendo, aut patiendo aliquem præcedere. Hoc postremum non approbo, quia per patientiam videtur cedere iuri suo. Vide dicta superius sub q. 15.

Quæres 25. An læsus in pręcedentia actione iniuriarum agere possit?

120 Potest, quia quilibet iniuriam sibi illatam vindicare potest implorato iudicis auxilio, ex doctoribus allegatis per Moronum Resp. 5. num. 7.

Quęres 26. In dubio præcedentię, pro quonam est pronuntiandum?

121 Sententiandum est fauore possessoris, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Ita Bursat. lib. 4. consil. 343. num. 75. M. Anton. lib. 1. resol. 81.

Quæres 27. An priuatio præcedentię sit pœna grauis?

122 ℞. Sic, quia grauiter delinquentes in suis ordinibus detruduntur in vltimum locum sine ordine, cap. Accedens 10. dist. 50. 1. 1. q. 7. cap. Mandamus 2. 19. q. 3. & similiter hoc ius tyrannice perturbantes repelluntur in vltimum locum cap. fin. dist. 93. item canonicus ex simonia factus per hoc reiectus, & post modum assumptus retinet in pęnam huius delicti vltimum locum, cap. Ex insinuatione 26. de simon. ergo pæna priuationis præcedentiæ est grauis pena, siquidem ex graui culpa arguitur grauis pęna imponenda, nam pęna commensuranda est delicto, l. Rescriptum ff. de his quib. vt ind. & æqualis pęna debetur æquali delicto, cap. Accusatus 8. §. Sacerdotes, de hęret. in 6. Priuatio igitur pręcedentię computatur inter pęnas maiores, quia imponitur pro grauibus delictis. Ita omnes, immo Peyrin. q. 3. de Prelato num. 152. vocat pœnam grauissimam.

Quęres 27. Ad quemnam iudicem spectet priuare aliquem reum iure pręcedentiæ?

123 ℞. Ad omnem, qui potest formare processum, & non ad alios, quia cum hæc priuatio computetur inter pœnas maiores non est infligenda alicui, nisi constet prius legitime per formalem sententiam reum mereri huiusmodi pœnam. Quare in multis religionibus Mendicantium id spectabit ad Prouincialem, & Generalem, quia inferiores non formant processus, sed suos subditos paterno more corrigunt, & castigant salutaribus pœnitentijs.

Quęres 29. An nobilitas dęt ius pręcedendi? Notandū est, quod no-
124 bilitas alia dicitur virtutis, alia sāguinis, nobilitas virtutis est illa, qua aliquis de ignobili fit nobilis per actus heroicos virtutis, aut militię, nam quis nobilitatur ex scientia, gl. v. Literatos, cap. De multa, de prębend. desumitur à vita inclita iuxta illud Ecclesię: *Cuius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias*; apud Ciceronem Demetrius nobilis vocatur ex doctrina, & alij ex multitudine rerum gestarum. Nobilitas sanguinis est illa, quę habetur ex paterna origine, siue pater sit nobilis ex virtute, siue ex sanguine paterno, l. cum legitimæ ff. de statu hom. hęc vocatur ius sanguinis incommutabile. l. ius agnationis, C. de dign. lib. 12. & hoc nullo iure ciuili dirimi potest ff. de reg. iur. 10. de illa dicit Arist. 3. Politic. cap. 8. quod nobilitas apud omnes est in honore, ac proinde putat esse consentaneum, ex melioribus ortos esse me-

liores, quia generis virtus est nobilitas; nobilitas ex genere quarto plus inueterascit in generatione, tanto maior habetur, l. Tam dementis C. de Episc. aud. l. Furiosi ff. de nupt. ibi: *Qui ex genere nobiliores sunt.* Differunt inter se hęc duo nobilitatis genera in eo, quod nobilitas virtutis est principium, & radix nobilitatis sanguinis; quia natura humana fuit prius ignobilis, quam nobilis, nulla enim habebat merita, nec actiones heroicas, quibus diceretur nobilis, ita igitur operata fuit, vt mereretur nobilitatem virtutis, vt inde posteri dici possent nobiles nobilitate sanguinis ex paterno sanguine. Pręterea nobilitate virtutis qui fit nobilis laudatur ex proprijs virtutibus, & actibus heroicis, quia ita meretur honorari; ex nobilitate vero sanguinis ortus in se ipso non laudatur, nec honoratur, quia ex hoc nulla habet merita propria, pręterquamquod cum naturalia in homine non laudentur, neq; vituperentur, consequenter neq; ius sanguinis, cum ex eo nobilitas sit quid naturale, & de hoc intelligitur glosa v. Personatus extr. com. 4. de prębend. dum dicit, nobilitatem in disputationem vocare, esse de stercore verba facere; hęc igitur nobilitas laudatur in parentibus, qui eam actib. honoratis sibi aquisiuerunt per exercitium virtutis, vel per militiam. Diuitię multum coadiuuāt nobilitatem vtramq; vnde Bald. apud Felin. in cap. Super eo, de testib. num. 10. dicit, satis est nobilis, qui est diues; & Petrus de Bellapertica in l. Humilem C. de incest. nupt. scribit, nobilitatem nihil aliud esse, quàs diuitias inueteratas. Vide Graff. lib. 2. de arbitr. cap. 51.

℞. Apud laicos attenditur vtraq; nobilitas in praecedentijs, ita quod
125 nobiliores praeferuntur minus nobilibus, & ignobilibus colligitur ex l. Honores §. His qui ff. de decur. Apud ecclesiasticos nulla consideratio habetur nobilitatis in conferendis dignitatibus, & honoribus cap. Quoniam 25. 24. q. 1. gl. inuidia cap. Venerabilis 37. de prębend. Sigism. dub. 3. de elect. num. 4. D. Hieron. ad Celan. ita loquitur: *Nulli te vnquam de generis nobilitate praeponas; nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum.* Sicut ergo in conferendis dignitatibus inspicitur virtus, vitae Probitas, & honestas, ex cit. cap. Venerabili, & cap. De multa 28. de praebend. ita nobiles virtutibus pręferendi sunt. Inter Regulares nobilitas sanguinis nullatenus

latenus attenditur in precedentia, honoribus, & officijs, gl. v. absque personarum delectu, cap. Ea quæ 8. de statu monach.
126 Nichilominus vtraq; nobilitas manet apud professum nam iura sanguinis incommutabiliter sequuntur personam, l. ius agnatorum ff. de pact. & virtutis nobilitas magis augetur in religione, qui est status valde honorificus, & æstimandus, non perditur ergo nobilitas per ingressum, & professionem, sed magis augetur, & perficitur, ita Petrus Leunaderius part. 4. q. 54. Guliel. Benedictus in cap. Ranutius num. 210. quos, & alios citat Vecchius disp. 13. de Nouitijs dub. 9. num. 3. Peyr. de Prelato q. 2. cap. 2. §. 2. Ex his deducitur non esse audiendam glosam v. Ingenuus cap. 1. de purg. can. asserentem perdi per monachatum nobilitatem, nam iura per eam ibi allegata, dicunt, amitti gradum, & officium, non vero nobilitatem, nisi in quantum arguit ambitionem, & elationem, religiosus enim cum omnibus debet esse humilis, tali tamen humilitate, quæ non iudicetur vtilitas. Vide Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 94. & in Additam. hic vbi de hac re multa congerit. Ego nonnulla notaui Resolut. 56. à num. 23. ad 28.

Quæres 30. An seniores, & antiquiores semper preferantur iunio-
127 ribus, & recentioribus? Nota, quod senioris, & antiquioris nomen accipitur dupliciter, primo in ordine ad ætatem, vnde qui habet annos 60. senior est, iunior vero, qui minori ætate gaudet. Secundo in ordine ad ingressum in Ecclesiam, Collegium, Religionem, &c. vnde antiquior in religione dicitur prior professione, licet postea alius ingrediatur etiam triginta annorum ætatis, gl. v. Antiquiores cap. fin. de consuet. in 6. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 15. num. 84. Rodriq. Mirand. apud Vecchium disp. 6. de Nouitijs. dub. 2. num. 3. Sigism. dub. 9. de elect. num. 11.
128 ℞. Antiquiores in secundo sensu semper preferuntur, quando adest statutum, seu consuetudo conformis iuri communi, vt ille sit potior iure, qui prior est tempore, quamuis alter sit dignior, iuxta dicta q. 21. Ratio est, quia honorandus est, propter onera, quæ in Ecclesia, Collegio, seu Religione sustinuit, l. 2. ibi. *Vbi vel labor* de off. mag. off. l. fin. C. de dignior. lib. 12. cap. Cum tua 4. de consuet. in 6. gl. ibi v. Antiquiores. Vnde doctor primo receptus in collegio quamuis sit ætate iunior, tamen debet preferri seniori etate postea recepto, Rom. in l. Si vero ff. de solut. matr.

num.87. Ruin. lib. 1. consil. 19. num. 9. Sic doctor antiquior prȩfertur iuniori, gl. v. Nouum, l. cum quid ff. si cert. petat. quandoq; iunior prȩfertur seniori, si nimirum ille excedat hunc in scientia, gl. v. tempus, Authent. de monach. quia attenditur virtus maior, cui tamquam prȩmiũ debetur honor. Igitur in prȩcedentia ratio habetur antiquitatis, quando aliud non obstat.

Quȩres 31. An officialis honorandus sit in prȩcedentia, finito officio, sicut honorabatur quando erat in officio?

129 ℞. Finito officio non amplius prȩfertur, nisi aliunde prȩcedentiam habeat, ratio est, quia præcedentia fundabatur in officio, ergo eo sublato perditur præcedentia, siquidem destructo fundamento tota fabrica ruit, cap. Cum Paulus 26. 1. q. 1. Id autem colligitur ex D. August. q. 35. ex veteri testam. apud Peyrin. de Subdito q. 1. cap. 28. §. quarto.

Quæres 32. An habens plures qualitates, seu gradus præferatur habenti pauciores?

130 ℞. Affirmatiue, quia quando cuncurrunt duæ rationes, præualet qui duas habet, cap. 1. de tregua, l. Re coniuncti, ff. de legat. 3. item quia duo vincula vno sunt fortiora. Ita Abbas in cap. Clerici, de iud. Ioan. de Anania in Rubr. de Magistr. Host. & Abbas in cap. de consang. dicunt, quod doctor Theologiæ, & Canonum simul, præcedit Thelogus. Domin. in cap. Placuit dist. 16. ait, quod doctor Artium, & Medicinæ simul alterum præcedit, Catal. G. M. part. 10. consid. 33. Explicatur infra q. 70.

Quæres 33. An Præsidens pluribus præferatur iubenti pauciori-bus?

131 ℞. Affirmatiue, quia est maior, Auth. constitutio, de dignit. vbi glos. dicit, esse præmium dignitatis habere plures subditos de hac re plures citat Contelor. de præced. num. 14. Pasqualig. decis. 505. num. 3. alios citat Tomasius de præcedentia num. 172. Sic Prouincialis ex hoc dici potest maior Priore, quia præest pluribus, quam ipse Prior. Item Generalis cœteris, cum omnibus præsideat sui ordinis. Valet igitur in eodem ordine. In diuersis id non attenditur quo ad relatiuam præcedentiam, cum inspiciatur antiquior approbatio, vt dicam suo loco.

Quæres

Quæres 34. An magis priuilegiatus præferatur minus priuilegiato?

132 R. Sic, gl. v. Priuilegiatum, cap. Accuſatus §. ſane, de hæret. in 6. cum alijs allegatis à Catalogo part. 4. conſider. 32. Tambur. tom. 1. diſput. 25. q. 3. num. 5. vbi per hoc probat Abbatem præferendum Vicario Generali Epiſcopi, qui ſolam poteſtatem iuriſdictionis habet, Abbas vero etiam ordinis pro ſuis monachis.

Quæres 35. An prius inſtitutus in ordine, beneficio, &c. præferatur poſterius inſtituto?

133 R. Affirmatiue, quia prior eſt tempore potior eſt iure, ita cap. Epiſcopos diſt. 17. cap. Epiſcoporum diſt. 93. hoc modo Epiſcopi præcedunt inter ſe. Sic Sacerdotes inter ſe. Ita profeſſi in religionibus. Idem dic de promotis ad doctoratum. Limita niſi poſterius inſtitutus habeat aliam qualitatem, per quam præferendus ſit prius promoto, iuxta dicta in præcedentibus. Vnde quando adeſt maioritas cauſæ poſterior præfertur maiori, Roman. conſil. 133. num. 10. Nauar. conſil. 1. de maior. num. 14. Burſatus lib. 4. conſil. 343. num. 77. Mar. Ant. lib. 1. reſol. 81. n. 8. Limita ſecundo, niſi poſterius inſtitutus ſit à Principe immediate, cap. Si à ſede 31. de præbend. in 6. c. Per tuas de maior. Dixi: *Sic Sacerdotes inter ſe*, quia circa ordines attēditur ordo hierarchiæ, ita quod Subdiaconi inter ſe, Diaconi inter ſe, Sacerdotes inter ſe præcedant ſecundum ordinationem vnuſquiſq; in ſuo ordine hierarchico. Vide cap. 23. diſt. 93.

Quæres 36. An ab ordine literæ, ſeu nominationis deſumatur efficax argumentum ad inferendam præcedentiam?

134 Reſpond. Affirmatiue, quia primo loco deſcriptus dicitur dignior, l. 1. ff. de albo ſcrib. Marius Antoninus lib. 1. reſol. 81. num. 1. Pariſ. vol. 4. conſil. 38. num. 1. prior enim nominatus cenſetur magis dilectus, l. Si communis ſeruus ff. de ſtipul. ſeru. cap. Si quis, de elect. in 6. & ordo literæ, ſeu ſcripturæ attenditur, l. Generaliter, §. Si quid ff. de fideicom. cap. Si quis ſit, iuncta gl. v. Nominatus, expreſſius cap. Mandato 10. de præbend. in 6. ibi: *Tunc ſcripturæ ordinem ſeruare habebis.* vnde ex ordine ſcripturæ dignoſcitur intentio diſponentis, Anton. Monach. Florent. decis. 1. num. 63. alijs citatis à Barboſa Vaz lit. O. num. 19.

Igitur

Igitur ordo literæ infert præcedentiam, gl. 2. Mediolanum cap. 1. dist. 96. Felin. in cap. Cum dilecta, de rescr. col. 3. Gemin. in cap. fin. de off. deleg. in 6. Procedit responsio primo, quando constat de mente disponentis intendentis dare ordinem prioritatis, vt clarum exemplum habes cap. Vt lex continentiæ 27. q. 1. cap. Vbicumq; 6. 12. q. 2. ordinatim enim recensentur ordinibus insigniti, & ecclesiæ, Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1. num. 157. similem ordinem habes ex tit. de relig. domib. in 6. vbi nominantur gradatim ordines Mendicantium, Prædicatores, Minores, Augustiniani, & Carmelitæ. Igitur ordo literæ nõ attenditur, quãdo certi sumus, legislatorem non dare ordinem prioritatis, de qua aliunde constat, Felin. in cap. Cum dilecta apud præcitatum Tambur. num. 154. cum eo Peyrin. tom. 3. de priuileg. cap. 10. num. 28. Procedit secundo, quando aliunde haberi non potest certitudo præcedentię, de qua disputatur, Bart. in præscri. C. §. quibus, num. 19. & alij citati à Tamb. num. 152. Peyrin. loco citato. Demum, quando varijs modis nominantur in iure, ab ordine literæ non potest efficax argumentum desumi, siquidem cum incerta minime iudicentur, multo minus ab illis argumentum desumi potest ad ferendum iudicium, cap. Nomen 12. 2. q. 1. cap. Si quis 9. §. incerta 30. q. 5. neque incerti certa scientia dari potest, gl. v. Vti possidetis, cap. Licet causam 9. de probat. Super nominatione igitur varia fieri non potest fundamentum inferendi præcedentiam. Dec. consil. 11. col. 7. num. 12. Aymon consil. 96. num. 5. Tambur. cit. num. 156.

Quæres 37. An habens potestatem ordinariam præferatur habenti tantum delegatam?

135 ℟. Præfertur, quia maior est potestas ordinaria, quam delegata, ergo habens ordinariam anteponitur habenti solum delegatam; antecedens demonstratur, Tum quia delegata facilius tollitur, quam ordinaria, l. 1. §. Qui mandatum, ff. de off. eius cui mand. l. Iudicium soluitur ff. de iudic. Tum quia ordinaria durat post mortem concedentis, non autem delegata re adhuc integra, cap. Gratum, cap. Relatum, de off. deleg. l. Et quia 17. de iurisd. om. iud. Tum quia ordinaria transit in successorem, non delegata, Dec. in cap. Quoniam, de off. deleg. num. 61. Rota Rom. vol. 1. decis. 200. fallit, quando delegans habuit respectum ad tribu-

nal

nal Episcopi, Gambara lib.8.de legib.q.97.ex eadem Rota. Ex quibus deducitur ordinariam esse firmiorem, & efficaciorem, consequenter perfectiorem, & maiorem, ac proinde inferentem præcedentiam.

Dices, delegatus est maior ordinario in causa sibi delegata, cap. Sane 11.de offic.deleg.cap. Pastoralis 11.de off.ordin. vnde & honorandus est ac si esset delegans, cap.fin.dist. 93. cap.1. dist.94. ergo præferendus est habens potestatem delegatam habenti ordinariam.

136 ℟. Quod delegatus est maior in iurisdictionalibus, vt dicit Menoch. lib.1.consil.51. num.55.& colligitur ex illo cap. Sane, ibi: *Iudicandi nobis delegatus vices nostras gerit, vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum causam suscepit terminandam, ideoq; si Episcopus vel alia persona, quæ non sit de iurisdictione illius, in causa, quam ei delegamus rebellis, aut contumax fuerit secundum qualitatem facti à iudice delegato censuris poterit compelli.* Delegatus ergo Papæ maior est Episcopo, cuius ille causam tractare debet, & in hoc habet illi præcedere, quia maior est in iurisdictionalibus, Episcopus enim iudicandus fit subditus delegato, & in hoc illi inferior est. Pariter si Episcopus deleget aliquem contra quemquam ex suis clericis qualibet dignitate fulgentem, præfertur delegatus illi ratione subiectionis. Patet ex his non spectari rationem potestatis ordinariæ in ijs, contra quos aliquis delegatur, sed tunc considerari tantum respectum subiectionis.

Quæres 38. An locum tenens maioris honorandus sit, sicut honoraretur maior, si esset præsens?

137 ℟. Affirmatiue, quando tenet locum Papæ in aliquo congressu, Capitulo, aut Concilio, vt in terminis dicitur, cap.fin.dist.93. ibi: *Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.* Alij locum tenentes in honoribus, & præeminentijs non sunt honore parificandi cum maioribus, quorum loca tenent, secundum Turrecr. in cap. In nomine, dist. 25. in fine colum. 2. non esse faciendam similitudinem de auctoritate Pontificis ad Episcopum. Sed iterum de hac re sermo redibit infra, cum disputabitur, an vices gerentes Prælatorum præcedant alijs q. 174.

Quæres 39. An in controuersijs de præcedentia standum sit Canonistis?

138 ℞. Affirmatiue Ioannes Andreæ in cap. Sane, de Regul. Dic tu, illi, qui adducit firmiores rationes, seu iura cum doctoribus.

Quæres 40. Ex tribus locis, quinam sit præstantior in ordine, ad præcedentiam? Manus dextera, manus sinistra, & locus medius inter vtramq; manum. Adde locum muralem.

139 ℞. Inter hos dignior, & præstantior est locus medius; sequitur manus dextera, locus muralis datur dignioribus, in quo non spectatur dextera, neq; sinistra. Locum medium esse præstantiorem, suadetur. Tum ex diuinis operibus, nam Deus in illis respicit medium, siquidem fecit firmamentum in medio aquarum, Gen. 1. num. 6. Lignum in medio Paradisi produxit, ibidem cap. 2. num. 9. In medio terræ operatus est salutem Psal. 73. Christus in suis operibus doctrinæ, prædicationis, & similium medio vsus fuit tamquam re præstantiore, de mediocritate ergo sunt plenæ Sacræ Scripturæ, quod indicium est, medium continere in se virtutem, honorem, præstantiam, & excellentiam. Tum quia in moralibus media via tenenda est, sic enim agens se gerendo, excessum, nec defectum committit in operando, hac ratione auarus non dando deficit, & prodigus nimis largiendo excedit, liberalis vero medium tenens in neutrum labitur, sed commendatur ex actibus virtutis, vnde bene dicitur ad rem, quod in medio virtus consistit. Tum quia medium se habet ad extrema, & sic cum illis facit numerum perfectum, omne enim trinum est perfectum. Tum quia communiter dicitum. *Medium tenuere beati.* Pariter Horat. dicit. *Auream, quam quisque diligit mediocritatem.* Tum quia Sacerdos solemniter celebrans stat in medio Diaconi, & Subdiaconi. Sic filij Zebedei volebant sedere, vnus ad dexteram, alter ad sinistram Christi, Matth. 20. 21. Christus in medio duorum latronum crucifixus fuit. Ex his ergo deducitur, positum in medio argui digniorem, maiorem, & præstantiorem.

140 Dextera manus arguit digniorem, & præstantiorem locum respectu sinistræ, nam manus dextera sic dicitur à dexteritate in operando, & sibi connaturale est esse perfectiori sinistra, ab ea enim initium omnis motus, & actionis, & motus ab ea cœptus dicitur naturalis, à sinistra vero innaturalis, & quasi inordinatus etiam in genere moris; hinc fit, quod Sacerdos, qui in omnibus debet esse perfectus, maxime in celebratione diuinorum, verten-

do

do se ad populum in missa, incipit motum conuersionis à dextera manu in sinistram. Dextera igitur importat honorem, & excellentiam maiorem respectiue ad sinistram, ac proinde honoratiorem locum. Ita Bald. in l. Decernimus, num. 2. §. Et quod dignior, C. de Sacros. Eccles. Felin. de maior. in Rubr. Grammat. decis. 64. Rota Romana apud Tamb. tom. 3. decis. 1. num. 2. vnde Papa Innoc. III. relatus cap. Solitæ 6. de maior. increpat, & redarguit Imperatorem, qui Patriarcham Constantinopolitanum faciebat sedere in sinistra iuxta scabellum pedum suorum, cum debuisset illi assignare dexteram vt digniorem, & præstantiorem. Nemo nostris temporis audet ne dum admonere etiam inferiores Principes, ne dicam increpare.

Locus muralis in ordine ad præcedētiam inuentus fuit ad commoditatem, & vtilitatem, quod exigit præstantia personę, quæ sicut precedit honore, ita commoditate, & fauore præfertur. Est autem inferior, & infirmior cæteris, quia confundit proprietates reliquorum peruertendo ordinem deductum ex naturalibus. Hic Parmæ, & alijs fere omnibus ciuitatibus practicatur locus muralis. Romæ, & Bononiæ seruatur ordo dexteræ vbique ex commoditate porticorum.

Locus dignior præscindendo à dextera, & sinistra manu dicitur ille, qui est proximior maiori, sic in processionibus illi sunt digniores, qui sunt in loco propinquiori Episcopo, seu Cruci Catedralis, aut matricis ecclesię. Ita Bald. in l. Obseruare, §. antequam vero ff. de off. procons. Grammat. decis. 64. num. 21. Felin. in Rubr. de maior. num. 12. §. Ille dicitur maior, Tambur. decis. 1. num. 1. Item pari ratione locus dignior est ille, qui magis proximus est Principi, Glos. v. Altiore §. Aliam, Instit. de bon. possess. & supracitatis, ita quod tunc non attenditur medius locus, sed successiue, qui sunt proximiores maiori, sunt gradatim digniores, quia occupant locum digniorem.

141 Duo prædictis obstare videntur, primum est medium locū non arguere semper maioritatem, nam dextera quandoq; importat æqualitatem cū medio, vnde in sacris literis Filius dicitur sedere ad dexteram patris propter identitatem, & æqualitatē substātiæ, est enim Filius Patri consubstantialis; non tantum id de Filio

respectu

respectu generationis diuinę, sed etiam humanæ secundum incarnationem intelligi potest, quia Deus naturam humanam assumptam à Verbo ita exaltauit super omnem creaturam, vt illā collocauerit ad dexteram suam, insinuando per hanc collocationem naturam humanam in Christo esse honoratiorem, & præstantiorem qualibet alia creatura. Secundum est, antiquitus depingebatur S. Paulus ad dexteram D. Petri, est autem in confesso apud omnes maiorem, & digniorem esse D. Petrum D. Petro, propter Pontificatum, ratione cuius Paulus illi subiectus erat, ergo signum est manum dexteram non arguere prętantiorem locum, & maiorem esse sedentem ad dexteram.

Ad primum respondetur, Filium in diuinis sedere ad dexteram Patris non accipi sessionem, aut stationem literaliter, & secundum maioritatem loci, nam similis sensus non habet locum, sed sumitur dextera pro consubstantialitate diuinę essentię in Patre, & Filio, vt superius dictum fuit; vel accipitur pro dextera profectionis, de qua re plenæ sunt Sacrę Scripturę, Psal. 15. 8. *Quoniam à dextris est mihi ne commouear* Psal. 137. 7. *Saluum me fecit dextera tua.* & sic non facit ad rem nostram, qui loquimur de dextera secundum literam. Vide de hac re multa in Catal. G. M. part. 3. consid. 2.

Ad secundum dico D. Paulum depictum fuisse antiquitus ad dexteram S. Pauli honoris causa, non simpliciter quasi sit maior. D. Petro, sed secundum quid tantum, ob rationes allatas à Petro Damiani, & à Bellarmino de Romano Pontif. lib. 1. cap. 27. cum quibus est Dominus meus Ioannes Petrus Puricellus Archipresbiter S. Laurentij Mediolani in suo eruditissimo opere: *Ambrosiana Mediolani Basilicæ hodie Cistertiensis Monumenta* à num. 65. ad 70. *Primo* depingitur S. Paulus à dextris, quia plus profuit ecclesiæ, quam Petrus, siquidem plures ex Gentilibus perduxit ad fidem, quam Petrus ex Iudęis. *Secundo* Paulus fuit doctor Gentium, Petrus Iudęorum, illi autem prępositi fuerunt Iudęis, ex profetia: Maior seruiet minori, de qua mox dicam aliquid. *Tertio* Petrus vocatus fuit à Christo, qui adhuc erat mortalis, & in sinistra positus; Sanctus vero Paulus post Resurrectionem vocatus fuit à Christo existēte in dextera suę gloriæ. *Quarto*, Paulus erat de tribu Beniamin, & in hoc demonstratus, Beniamin vero

licet

licet postremus inter fratres esset, tamen à patre vocatus fuit filius dexteræ, & à Ioseph omnibus fratribus antepositus. Dextera ergo arguit aliqualem honorem D. Pauli super S. Petrum respectu adductarum rationum, & sic secundum quid dicitur honoratior, non autem maior, nec simpliciter dignior, aut præstantior Petro, eo quod D. Petrus ratione Primatus, & Papatus simpliciter maior, dignior, & præstantior est Paulo, siquidem Paulus per supradictos titulos non subijcit sibi Petrum, vtique vero Petrus subijcit sibi omnes Apostolos, D. Paulum, & quoscumq; homines, quorum est Princeps, & Pastor.

140 Catalogus G.M. part. 3. consid. 2. cum Antonio Nobrissensi refert, apud antiquos manum sinistram habitam fuisse digniorem dextera, nostris autem temporibus rem aliter se habere; de hac re exemplum affero illorum fauore de filijs Ioseph benedictis à Iacob Patriarcha antequam moreretur, de quibus Genes. cap. 48. ita legitur. *Cumq; tulisset eos Ioseph de gremio patris adorauit pronus in terram; & posuit Ephraim ad dexteram suam: i. ad sinistram Israel* sic vocabatur Iacob. *Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram S. Patris, applicuitq; ambo ad eum qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus: Benedixitq; Iacob filijs Ioseph. Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit, & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. Dixitq; ad patrem; non ita conuenit pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens, ait: Scio fili mi scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor maior erit illo, & semen illius crescet in gentes.* Vides, quod Manasse maior natu est ad sinistram fratris sui minoris tenentis dexteram, ergo antiquo tempore præstantior erat manus sinistra, quam dextera. Responderi tamen potest, maiorem filium obtinuisse illum situm, non quia manus sinistra esset dignior, sed eius patrem Iacob posuisse illum ad sinistram, vt Patriarcha Iacob primo, & commodius illum benediceret propter propinquitatem ad manum dexteram Iacob, & secundo loco ad dexteram collocasse Ephraim filium minorem, vt secundo benediceretur manu sinistra. Stet ego

quod

quod manus dextera ex sua perfectione maiore respectu sinistræ arguat digniorem locum omni tempore, quia ex natura rei maior perfectio semper fuit in dextera, quam in sinistra.

Nota, quod manui dexteræ hominis in re inanimata respondet sinistra, sinistræ vero respondet dextera rei inanimatæ, exemplum sit in Missali, seu alio libro posito ante me v.g. nam manus dextera libri est illa pars, quæ se tenet ex parte principij libri respondens meæ sinistræ; sinistra vero pars libri ea est quæ respicit finem eiusdem libri, & respondet manui meæ dexteræ. Hinc fit, quod liber Euangeliorum incensatur primo in medio, secundo ex parte principij; tertio ex parte finis. Eodem modo incensatur populus in medio, deinde ad partem illius dexteram nempe versus partem collateralem Epistolæ, demum ad sinistram ex parte Euangelij. Hoc esse dextrum, seu sinistrum non variatur non solum in rebus animatis, vt patet præsertim in hominibus in exemplo allato, verum etiam in rebus inanimatis, si quodam modo in illis concipiatur facies erga nos, vt apparet præcipue in libris, dum leguntur, & versa vice retrorsum, cum nunquam in illis mutetur principium, à quo denominatur manus dextera, quouis modo tandem liber disponatur. Sed de his satis.

Quæres 41. An potestas ecclesiastica sit maior, dignior, & præstantior laica, & seculari?

143 ℞. Maior est simpliciter, dignior, & præstantior potestas ecclesiastica qualibet potestate seculari, & laica. Probatur. *Tum quia* illa potestas est maior, quæ iudicat hominem tam quo ad animam, quam quo ad corpus, eo quod anima est pretiosior corpore, cap. Cum infirmitas 13. de Pœnit. & ideo præponitur animus corpori, cap. sedulo 12. dist. 28. l. Sancimus de Sacros. Eccl. id quod dixit Arist. lib. 1. de Anima cap. fin. quod corpus animi causa constitutum fuit; per potestatem vero laicam iudicatur solum corpus, vt patet, ergo maior est potestas ecclesiastica, quam secularis, cum plura respicit, vt dictum est. *Tum quia* potestas laica subordinatur potestati ecclesiasticæ, nam ecclesiasticus supplet negligentiam, & iniustitiam iudicis laici, non è contra, cap. Ex transmissa, cap. Licet, de foro comp. Thesaur. fori eccles. part. 2. cap. 38. num. 92. Azor. lib. 5. cap. 12. §. sed dubitari, M. Anton. lib. 1. resol. fin. casu 32. vnde acceptat querelam laici de

ſuo iudice ſuſpecto, gl. fin. cap. omnis 2.4.q.6. *Tum quia* antiquior eſt eccleſiaſtica, D. Anton. part. 3. lib.22. cap.5.§. 14.ex illo Catal G. M. part. 4.conſid.7.§. Immo, nam illa incępit à ſacerdotio Melchiſedech, qui erat Sacerdos Dei Summi, cuius rei argumentum non leue eſt, quod iudices eccleſiaſtici olim omnes laicos iudicabant, gl.1. cap. Si quis 4.2.q.4. *Tum quia* eccleſiaſticus pręeſt non ſolum clericis, ſed etiam laicis, cap. In Sancta 4. 2. q. 7. laicus vero nullus pręeſſe poteſt eccleſiaſticis,
144 nec illos iudicare poteſt, cap. 1.2.3. & ſeq.11.q.1.neq;in caſu negligentiæ, gl. in fine q. 1.cit.& in cap. Placuit 8. ead.eo quod iudex laicus prorſus ſit incapax iurisdictionis eccleſiaſticæ, cap. 1.diſt.96.cap.2.de iud.cap. Tua, de decim.cap. Præterea 4.cap. cum laici 10.cap.Cura 11.de iurepatr.cap. Futurum 15.12.q.1. eſt ſententia magni Conſtantini, vide Diana part. 6. tract. 8. reſol.4. referentem doctores, ſed illa poteſtas, per quam homo præeſt pluribus eſt maior, & dignior alia,per quam iudex præeſt paucioribus arg. ſupradictorum q. 33. *Tum quia* poteſtas vtraque repreſentatur per illos duos gladios Lucæ 22. 38. *Domine; Ecce duo gladij hic.* Spiritualem .s. & temporalem, & hic ſubeſt illi,ex extrau. com.1. de maior.ergo maior eſt iurisdictio eccleſiaſtica,quam ſecularis. Quod iudex eccleſiaſticus ex maioritate poteſtatis ſit præſtantior laico iudice docent omnes ex cap. Adminiſtratores 25.23.q.5. Felin.in cap. Cum ſit, de foro comp.n. 8. Sbrozius lib. 2. de Vicario q. 26. Maſcard. vol. 1. concl.689. Theſau.fori eccleſ. part. 2.cap. 38.num. 67.M. Anton. lib. 1.reſol.fin.caſu 32.§.Præſertim.

145 Hinc deducitur, in dubio iudicem maiorem eſſe præferendum minori,& ſic eccleſiaſticum laico, Oſaſch. deciſ. 103. num.4.Felin.in cap. Paſtoralis, de reſcr.num.4. Lancell.part.2.de Attent. cap.20.in pręfat-num. 78. Decian.tom.2. crimin. lib.6.cap. 36. num.12.M. Anton.lib.3.reſol. 48. num.1. §. quarto.

Quęres 42. An Papa ſit maior omnibus, & præferatur etiam Imperatori?

146 ℞.Affirmatiue. Primum probatur, *Tum quia* Papa omnia poteſt,Math.cap.16. 19. *Quodcumq; ligaueris ſuper terram, &c.*cap. Cuncta per mundum 8.q.3.cap. Propoſuiſti 4. de conceſſ. præbend. habet enim plenitudinem poteſtatis, intellige quo ad ius

positiuum,& etiam quo ad diuinum respectu modi, non substantiæ,potest enim hoc interpretari, modificare, & in eo dispensare ex iusta causa, igitur omnia potest, intellige claue non errante, vt docent omnes, ergo maior est omnibus, nam cæteris homini-
147 bus non est datum omnia posse. *Tum quia*, ille est maior,qui instituitur à maiore in potestate, & dignitate, vnde doctor immediate creatus à Papa dignior,& maior alijs est, Rō. in l.Si vero ff. lut. matr. Alexand. l.2.ff.de vulg.& pupill. substit. Felin. in cap. Per tuas,de maior.Panorm.in cap.Postulasti,de concess.præbēd.
148 sed Papa à solo Deo immediate instituitur designatus à Cardinalibus per electionem,cap.Nouit.13. de iudic.Diana part.1. tract.2.resol.125.Lauor.tit.4.de elect.cap.12. num.18. alij omnes,ergo omnibus maior est,quia nullus alius à Deo immediate instituitur in officio; vnde ipse solus dicitur vices Dei in terris gerere, cap.3.de transl. Episc.cap.6.nostrum.i.med. Vt eccles. benef. & Vicarius dicitur Iesu Christi, cap. 2. & 4. de translat.
149 Episcop. atq; ideo non vtitur baculo, sicut Episcopi, quia non ab homine, vt cœteri, sed à Deo immediate recipit potestatem gl.fin.cap.Vn.de sacr.vnct. *Tum quia* ille est maior,qui omnibus alijs legem imponere potest, illi autem nemo, cum omnium dicatur superior, & per hoc omnes illi subijciantur; sed Papa omnibus legem imponit, & illum nemo potest subijcere legibus,
150 cap. Pro illorum 22. de præbend. *Tum quia* omnis potestas ab eo emanat in quemuis hominem, etiam Imperatorem, vt sicut vna est fides, & vnum baptisma, ita quoque vnum sit caput potestatis vnius ecclesiæ, à quo membra viuificentur in potestate, cap. Loquitur 18.24.q.1.Gonzal. §.proæm.num.9.Nec obstat, quod non est potestas nisi à Deo, ad Rom.13. num. 1. quasi Imperator,& alij potentes à Deo immediate potestatem habeant, & dicantur Ministri Dei, loco cit. num. 4. Quæsitum 45.23.q.4. cap. Non solum 26. cap.Sunt quædam 38.23.q.5. nam cæteri à Deo potestatem siue spiritualem, siue temporalem habent non immediate, sed tantum mediate,& per dependētiam ad Papam, quia omnis potestas immediate est à Deo in Papam, ergo in illis redundat dependenter à Papa, aliter non essent duo gladij in ecclesia, quod negare hæreticum est. *Tum quia* ille est maior, qui omnes iudicat, & à nemine iudicatur, cum se habeant ad

inui-

inuicem, vt superior & inferior; sed Papa omnes iudicat, & à nemine iudicatur, cap. Si Papa dist. 40. cap. Duo sunt 10. dist. 96. etiam in temporalibus, cap. 13. qui fil. sint legit. Tum quia immensa est Summi Pontificis potestas, Rota decis. 82. num. 3. apud Tambur. *Tum quia* præest omnibus ecclesijs in orbe terrarum, cap. 1. dist. 23. cum sit caput totius corporis ecclesiæ, cap. Filiorum 14. 9. q. 3. vnde dicitur ordinarius ordinariorum cum illis concurrendo in collatione beneficiorum, ita quod potest illos præuenire, cap. Dudum, cap. Si ad Sedem, de præbend. in 6. Ioannes Monach. & Probus in cap. Si eo tempore, de elect. in 6. quare conferendo beneficium, nulli facit iniuriam, Puteus lib. 3. decis. 48. num. 6. est iudex ordinarius omnium hominum, gl. si dicat, cap. Vt debitus honor 59. de appellat. habet absolutum dominum omnium rerum ecclesiasticarum, Abbas in cap. Constitutus, de relig. domib. num. 15. Æneas de Falconibus de reseru. prælud. 2. num. 2. Paris. lib. 2. de Resignat. q. 4. num. 34. Rota decis. 20. apud Tambur. num. 12. Habet quoq; potestatem temporalem ex allegatis à Diana part. 1. tract. 2. resol. 121. & 122. vnde imperat secularibus, cap. Quia 5. 1. q. 4. *Tum quia* Papatus est prima Sedes, quæ à nemine iudicatur, vt conclamatum fuit in Synodo 300. Episcoporum congregata iussu Marcellini Papæ, vt expiaret suum delictum Thurificationis in Templo Isidis, & Vestæ exhibitæ. *Demum* in Concilio Florentino definitum fuit Papam tenere primatum his verbis. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Concludendum est igitur Papatu nichil esse maius, cap. Patet 10. 9. q. 3. ac proinde Summum Pontificem Romanum præferendum esse simpliciter, & absolute omnibus Ecclesiasticis, Laicis, Imperatori, Regibus, & quibuscumq, alijs etiam Vniuersitatibus, Collegijs, Synodis, & Concilijs etiam Generalibus. Vide, quæ latius scripsi in *Sacro Tribunali* cap. 5. per totum.

151 Imperatore maior, & dignior est Papa, quod probatur, Tum ex allatis mox rationibus. *Tum quia* Papa est Magister, Pastor, & Pater omnium cap. Quis 9. dist. 96. Imperator vero filius est ecclesiæ, ac proinde Summi Pontificis illius] capitis, & Sponsi, cap. Si Imperator 11. dist. 96. gl. quod enim cap. Conuenior 20. 23. q. 8. filius autem, discipulus, & ouis subsunt patri, magistro, & pastori, ergo & Imperator Papæ. *Tum quia* ille est maior, & præstantior alio, qui dignitatem recipit immediate à Principe ex allegatis in præcedentibus sed Papa à Deo Pontificium recipit immediate, cap. Nouit. 13. de iudic. Imperator vero ab homine, & exercitu, cap. Legimus dist. 93. *Tum quia* Imperator iuramentum non tam fidelitatis, quam vassalitatis præstat ecclesiæ, & eius capiti Summo Pontifici, cap. Quia sancta dist. 63. Clem. Romani, de iureiur. ergo minor est Papa. *Tum quia* Imperator non potest ligare Papam, nec alium ecclesiasticum, cap. Satis 7. dist. 96. nec iudicare, cap. In scriptis 8. dist. 96. vtique vero Imperatorem Papa ligare potest, & iudicare, nam Innocentius Arcadium Imperatorem, qui consenserat in exilium Sancti Ioannis Crysostomi, excommunicauit, cap. Duo 10. dist. 96. iudicat ergo & ligat Papa Imperatorem, cap. Nouit. 13. de iudic. *Tum quia* Papa & Imperator figurantur in duobus luminaribus Solis, & Lunæ, cap. Solitæ 6. de maior. vbi dicitur, quod sicut Luna subest Soli, à quo lumen etiam recipit, ita & Imperator repræsentatus per Lunam subest Papæ figurato in Sole, à quo sicut Luna recipit suum lumen, ita & Imperator à Papa accipit potestatem imperialem, vt multis probaui in *Sacro Tribunali* cap. 5. q. 10. *Tum quia* in extrau. com. 1. de maior. dicitur, quod Ecclesia duos habet gladios, iuxta mentem Sacri Euangelij Lucæ 22. *Domine ecce duo gladij hic.* Spiritualem. s. & temporalem, & hic subest illi, quibus spirituali nempe regit animam corpore pretiosiorem, & temporali gubernat corpus cuiuscumq; viuentis, inferius anima, & hunc gladium temporalem Papa communicat Imperatori, & Regibus, alijsq; Principibus, ex quo tribunal Papæ maius est tribunali Imperatoris, gl. cap. Quo 25. 23. q. 8. & quandoq; imperiali auctoritate determinat, cap. 1. de iuram. calum.

Tum

Tum quia Papa infringit iniquas sententias, & iudicia iniusta Imperatoris,& Regum Clem. 2.de sent. & re iud. Quod non potest facere, si illis non esset maior, & superior, *Tum quia* Papę iurisdictio est prior imperatoria, gl. ad regem cap. Causam 7.Qui filijs sint legit. Ita docent omnes cum gl. v. iurisdictionem, cap. Nouit 13.de iud. cum cap. Solitę 6.de maior.Clem.Vn.de iureiur. extr.com.1.de maior. Verall. part.1.decis.219.Catal.G.M. part.4.consid.7.Contelor.de Canon.Sanct.cap.9.n.38.

Hinc deducitur, Papam esse maiorem Regibus argumento ab Imperatore desumpto, si enim Imperator est inferior Summo Pontifice à fortiori Reges, qui minores sunt Imperatore, vt colligitur etiam ex cap.Suscipitis 6.dist.10.Bonifac.VIII.scribens Philippo Francorum Regi ita habet: *Scire te volumus, quod in spiritualibus, & temporalibus nobis subes.* Refertur Bulla ad verbum à Lauor. tit. 4.de elect. cap.4.num.51.

Quæres 43. An Papa sit maior Concilio Generali, & illi pręsit?

152 ℞. Affirmatiue.cap.Significasti 4. de elect.vbi,quod Papa pręest omnibus Concilijs, & sine illius auctoritate quicquam statuere non possunt,& maior dicitur quouis Concilio,gl.fin.cap. 3. de capell. siue pręsideat in Concilio, siue extra illud sit, mittatq; legatum Cardinalem. Vide *Sacrum Tribunal* cap. 6. q. 5. cum seq.

Quęres 44. An Papa sit maior Sanctis? Ratio dubitandi,quia eius arma collocantur in medio Apostolorum Petri, & Pauli in Bullis. Deinde Papa iudicat de illorum sanctitate, ergo illis maior est, maior enim est iudex iudicato. Pręterea Papa vocatur Beatissimus,& Sanctissimus,non ita Sancti, & Beati in gloria contenti gradu positiuo.

153 ℞. Papa non est maior Beatis, & Sanctis, probatur, *Tum quia* Papa non adoratur dulia sicut Sancti, sed minori veneratione, ergo non est maior illis, & adorans dicitur seruire personæ adoratæ, ex cap. Venerabiles 27. dist. 3. de consecr. iuxta gl. marg.nam adoratio proprie accepta dicit subiectionem ex parte colentis propter excellentiam eius, qui adoratur, siue sit Deus,

154 cui debetur latria propter eius excellentiam increatam, siue creatura sancta, vt B.V.M. cui debetur Hiperdulia, quia excellentior est super omnes Sanctos, & reliqui Sancti Angeli, & ho-

mines, quibus debetur adoratio Duliç, Sancti enim excellunt super omnes homines non sanctos; cum ergo Papa adoret Sanctos, & in suis necessitatibus, & ecclesiç indigentijs recurrat ad intercessionem Sanctorum, sequitur quod illis non sit maior. *Tum quia* Sanctitas in illis est perpetua, & inamissibilis, Papatus vero extinguitur in persona, quam post mortem non comitatur.
155 *Tum quia* ille dicitur maior, qui habet ius in re, quam qui illud habet ad rem, ille enim est potioris iuris, siquidem ius quæsitum fortius est, quam aquirendum, l. Si ita scriptum §. 1. ff. de legat. 2. & minus est habere actionem, quam rem, l. Quod minus ff. de reg. iur. vnde ius aquisitum non potest tolli, l. fin. C. de pactis, l. Id quod nostrum, de reg. iur. ius vero ad rem facile tollitur, Paris. vol. 4. consil. 93. num. 23. M. Anton. lib. 1. resol. 9. num. 7. sed Papa existens in gratia Dei habet solum ius ad gloriam, & sanctitatem, beati vero habent ius in re, hoc est, iam aquisitam habent gloriam, & sanctitatem inamissibiliter, ergo Papa sunt maiores. *Tum quia* Papa ratione Papatus subijciens sibi omnes homines in hac vita mortali dicitur maior respectu illorum, ergo cum sibi non subijciat Sanctos, qui sunt alterius ouilis, illis maior esse non potest. *Tum quia* Papa se dicit seruum seruorum Dei, in suis Bullis, nomine seruorum Dei non tantum veniunt fideles viatores
156 ex gl. initio Decret. & 6. Decretal. verum etiam iusti, & Sancti in termino viç, vt habetur ex diuersis locis Sacrç Scripturç Apoc. cap. 7. num. 3. *Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

Ad obiecta respondetur, ad primam non ideo Arma Summi Ponti-
157 ficis depingi in medio Apostolorum, vt arguant Papam maiorem illis quatenus Sancti sunt, sed ita disponuntur ex quadam congruentia locabilitatis, vel melius dic, Papam stare in medio, quia hinc inde protegitur ab Apostolis. Ad secundum Papam non iudicat sanctum quasi sibi sit subiectum, sed nomine Dei declarat seruum Dei esse iam adscriptum in Catalogo Dei, & in libro vitç, & electorum, vt in vniuerso orbe habeatur pro tali apud omnes, & vt ab omnibus talis credatur, & reuereatur. Ad Tertium, nomina illa superlatiua non accipiuntur pro sanctitate, & beatitudine seruorum Dei in gloria, sed pro quadam excellentia, qua Summus Pontifex honorandus est ac si esset Sanctus,

quia

quia ipse in hac vita est causaliter fons omnis sanctitatis per supremam dignitatem soluendi homines à peccatis, & deducendi eos ad portum salutis aperiendo illis Thesaurum Ecclesiæ, per quem homines gloriam sibi aquirere possunt. Sed quoniam sumus in cœlis secundum intellectum, abs re non erit, aliquid dicere de præcedentia cælestium Angelorum, & Sanctorum.

Quæres 45. Quem ordinem, & præcedentiam seruant inter se Angeli?

158 ℞. S. Gregorius Homil. 34. in Euangelia relatus lect. 4. in festo S. Michaelis Archangeli 29. Septembris, nouem ordines, seu choros Angelorum enumerat, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Relatus vero apud Gratianum cap. fin. dist. 2. de Pænit. seruat alium ordinem recensendo Angelos, Archangelos, Thronos, quos fecerat de septimo ordine, Dominationes, quos collocauerat in sexto ordine, Virtutes in tertio, Principatus in quinto, Potestates in quarto; Cherubin, & Seraphin. Ecclesia vero in Antiphona prima ad Magnificat Omnium Sanctorum recenset hoc modo. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, atq; Seraphim. Differt à præcedenti mox enumeratione in vno tantum, Virtutes, quos Gregorius ponit quinto loco, Ecclesia septimo. Magister Sentent. 2. dist. 9. sic recenset, Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Paulus ad Colossen. 1. 16. enumerat quatuor Thronos, Dominationes, Principatus, & Potestates. Ad Ephes. 1. 21. recenset quatuor Principatus, Potestates, Virtutes, & Dominationes, Potestates, Virtutes, & Seraphim. Ecce quam confusus apparet ordo nominandi Angelos, ex quo non potest deduci præcedentia vnius supra alium, iuxta dicta sub q. 36. ab ordine literæ, & nominatione non posse argui præcedentiam, quando diuersis modis contingit recensio plurium.

Concludendum nichilominus est cum D. Dionisio in lib. de cælesti hierarchia, quem sequitur D. Thomas part. 1. q. 108. art. 6. Angelos præcedere inter se, sicut hic numerantur Seraphim, Cherubim, & Throni, ad quos spectat recipere à Deo rationes rerum, & constituunt primam hierarchiam; sequuntur Domina-

tiones, Virtutes, & Poteſtates ſub ſecunda, ſeu media hierarchia, qui cognoſcunt cauſas vniuerſales, & ſignant quamdam gubernationem vniuerſalem. Demum ſub tertia ſunt Principatus, Archangeli, & Angeli, qui determinantur ad ſpeciales effectus, quos exequuntur.

Probatur autem ex pręcedentia primo auctoritate D. Dioniſij. *Secundo* quia Angeli primę hierarchię ſunt Deo proximiores, quã ſecundę, & tertię, & ſecundę, quam tertię, illi autem dicuntur maiores, & pręſtantiores, qui propinquiores ſunt Principi, vt probaui q. 40. num. 140. *Tertio* miſſione, nam Angeli primę claſſis non mittuntur ſecundum D. Thomam part. 1. q. 11. art. 4. vtique vero reliqui, quod non placet Hieron. Tamarit. Min. de Obſeru.

159 de Angelis q. 51. §. Nihilominus. Quarto illuminatione, quę eſt manifeſtatio alicuius occultę veritatis facta ab Angelo ſuperiori ad inferiorem, non ab inferiori ad ſuperiorem, quia inferior non docet, nec inſtruit ſuperiorem, Dei enim prouidentia inferiora regit per ſuperiora, non è contra; ſed Angeli primę hierarchiæ ſucceſſiue illuminant alios, cum ſint propinquiores Deo, ergo maiores ſunt. *Demum* Archangeli præſunt Angelis Greg. lib. 4 Moral. cap. 17. Angeli minora nuntiant, Archangeli maiora, idem Greg. relatus lect. 4. officij Archangeli Gabrielis 24. Martij. Vide Catal G. M. part. 3. conſid. 5. ad 20. vbi multa de Angelis ſcitu digna refert. Vide cap. fin. diſt. 89.

Quæres 46. An Angeli ſint maiores, & præſtantiores omnibus hominibus?

160 ℞. Affirmatiue, & quia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales nobiliores ſubſtantijs materialibus, inter quas numerantur homines; & quia ita dicitur in Pſal. 8. *Minuiſti eum* .i. hominem *paulominus ab Angelis*, Excipitur B. V. M. quæ propter dignitatem Maternitatis exaltata fuit ſuper choros Angelorum iuxta quod canit Sancta Eccleſia in feſto Aſſumptionis eiuſdem. *Exaltata eſt Sancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*. Vnde in Lytanijs primo loco inuocatur ante ſanctas creaturas. Item in Suffragijs primo nominatur.

Quæres 47. Qualis ordo præcedentiæ ſeruetur inter Sanctos? Comparari poſſunt eorum ordines inter ſe; vel eorum perſonas.

161 ℞. Ordines, & Chori Sanctorum statui possunt sexdecim secundum subiectam dispositionem. Patriarchæ, Prophetę, Apostoli, Euangelistę, Martires, Pontifices, Confessores, Doctores, Sacerdotes, Leuitę, Abbates, Monachi, Eremitę, Virgines, Viduę, & Infantes. Ratio huius dispositionis, & ordinis desumitur ex Lytanijs Sanctorum, ergo est legitimus, cum ab vniuersa ecclesia Sancti in suis ordinibus, & choris hoc modo honorentur.

162 Loquendo vero de personis eorum. B. V. M. omnes excedit, & omnibus est maior, dignior, præstantior, & excellentior propter duo priuilegia, & quia est mater Dei, quo nihil perfectius excogitari potest; & quia immaculata fuit in sua conceptione, ex meliori sententia. Tum quia exaltata est super choros Angelorum.

163 Est etiam maior Ioānes Baptista, qui à Christo Matth. 11. num. 11. vocatur maior inter natos mulierum, non dixit inter homines, quę vox comprehendit tam masculos, quam fęminas, sed inter natos, quæ dictio concipit tantum masculos. Sequitur secundo loco Ioannęs Baptista ex citata Christi auctoritate, siquidem fuit Patriarcha, & plusquam propheta, & alias habuit pręrogatiuas, de quibus Catal. G.M. 3. consid. 28. opin. 5. & §. Ex quo. Tertio loco gaudet Petrus cum cęteris Apostolis iuxta ordinem Lucę cap. 6. Quarto Euangelistę Mattheus, Marcus, Lucas, & Ioannes, qui tamen ex specialibus pręrogatiuis est prior alijs. Sed de hac re vide Catal. G. M. part. 3. à consid. 20. vsq; ad finem eiusdem tertię partis.

Quęres 48. An Sanctus Franciscus fundator trium Ordinum Minorum sit maior in Paradiso cęteris Sanctis, exceptis ad minus supradictis?

164 ℞. Affirmatiue, Tū quia obtinet superbi Luciferi sedē propter suam maximam humilitatem, vt scribit S. Bonauentura in legenda maiori cap. 7. & testatur Saluator de Vitalibus in suo opusculo inscrip. *Floretum Aluernetum* fol. 421. Vnde & vocatur Seraphicus. Tum quia solus meruit insigniri Sacris Stigmatibus, quod est priuilegium singulare retroactis seculis nulli concessum; ex sua igitur humilitate Seraphica, & hoc speciali priuilegio meruit exaltari super omnes reliquos Sanctos.

Tum

Tum etiam, quia ex speciali priuilegio à Christo immediate obtinuit illam singularem indulgentiam plenariam Portiunculæ pro calendis Augusti vtilem viuis, & mortuis quæ etiam per alium accipi potest ab absentibus, lege Bettonam in Historia huius Magnæ Indulgentiæ.

Quæres 49. Quem ordinem præcedentiæ seruent Ecclesiæ inter se? Nota multiplex genus Ecclesiæ, quæ sunt Romana, quæ Papalis, & Pontificia dicitur; Patriarchalis, Metropolitana, Episcopalis, seu Catedralis, Matrix, Collegiata, Conuentualis, seu Regularis, & Parochialis.

165 ℟. Præcedunt sibi inuicem iuxta ordinem præscriptum, vt de singulis aliquid dicitur in sequentibus.

166 Romana præest omnibus, Tum quia est mater, & magistra omnium aliarum ecclesiarum, cap. 1. dist. 12. cap. Deniq; 6. dist. 22. cap. Ad Romanam 7. 2. q. 6. cap. Licet 20. §. Quia, de foro compet. cap. Vn. de sum. Trinit. in 6. Tum quia est caput omnium ecclesiarum. cap. In primis 7. post med. 2. q. 1. cap. Ad Romanam 5. 2. q. 6. cap. Dudum 8. 3. q. 6. cap. 1. dist. 12. Tum quia est principium omnium ecclesiarum, cap. Si fortassis 6. 16. q. 6. Tum quia habet plenitudinem potestatis super omnes ecclesias, respectu cuius vocatæ sunt aliæ in partem solicitudinis, cap. Decreto 10. 2. q. 6. Tum quia à Christo Domino primatum obtinuit, cap. Sacrosancta 2. dist. 12. cap. Antiqua 23. de priuileg. Vide quæ latius recensui in Tribunali Sacro cap. 4. q. 9.

Romæ autem ecclesia Lateranensis vti omnium ecclesiarum Vrbis, & orbis mater præfertur omnibus, vt decreuit Gregorius XI. in sua Bulla 1. confirmata à Pio V. Bulla 94. incip. *Infirma aui conditio* intellige quo ad honorem, non quo ad potestatem. Iterum infra q. 204.

167 Patriarchales Ecclesiæ, post Romanam præferuntur alijs, & sunt quatuor principales, à quibus prælati earum vocantur Patriarchæ, & Primates, idem enim important dignitatis, licet voces sint diuersæ, cap. 1. dist. 80. Tenent autem hunc ordinem, primum locum habet Constantinopolitana, secundum Alexandrina, tertium Antiochena, quartum Hierosolimitana, cap. Antiqua 23. de priuileg. in Concilio Lateran. celebrato anno 1215. cap. 5. Quod antea statutum fuerat in Concilio 6. Constantin. eodem

ordine cap.36. vbi habentur hæc verba. *Decernimus vt thronus Constantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiqua Romana throno obtineat, & in ecclesiasticis negotijs, vt illa, emineat, secundus post illam existens.* Hoc Decretum videtur derogare primatui Ecclesiæ Romanæ, cui si æquatur in priuilegijs, & negotijs Constantinopolitana, in quo Romana super hanc eminebit, nisi in numeratione? Præterea eminentia vnius Ecclesiæ super aliam, est vnam in potestate, & iurisdictione excedere aliam, qui excessus tollitur per hoc Decretum. Deinde huiusmodi æqualitas arguit pluralitatem Summorum Pontificum eodem tempore, quod dicere hæreticum est. Demum ista æqualitas non potest esse per communicationem, & delegationem factam à Sede Apostolica, quia similis delegatio in omnibus simpliciter, vt videtur innuere illud Decretum, non est dabilis sine præiudicio Sedis Apostolicæ, quæ ex hoc diuideretur in duo capita suprema, quod implicat in moralibus, in quibus attenditur ordo inferiorum, & superiorum tandem sub vnico capite. Impugnaui alibi dictum Decretum, quia illud Concilium quod in Trullo celebratum fuit, legitimum non fuit, quia congregatum sine auctoritate Romani Pontificis, neque à Sede Apostolica vnquam confirmatum fuit. Supradictam præcedentiam confirmauit Eugenius IV. in sua Bulla 17. Incip. *Lætentur cæli* §.9.

Nota autem, quod præfatæ ecclesiæ, cum modo careant fidelibus, quia ab infidelibus eorum loca occupantur, habent solum Patriarchas titulares, & non iurisdictionales, consequenter isti non præferuntur prælatis iurisdictionalibus.

Præter illos quatuor, sunt alij Patriarchæ Aquileiensis, Gradensis, Tolentinus, Cantuariensis, Bituricensis, Pisanus, de quibus Catal. G. M. part. 4. consid. 9. & 19. quos videtur præferre non solum Archiepiscopis, & Episcopis, sed etiam Cardinalibus, per cap. Constitutis 23. vbi in titulo præponitur Patriarcha Gradensis Cardinali Presbitero, sed id non obstat, quia Papa ibi habuit respectum ad dignitatem sacerdotalem, & sic illum huic præposuit; deinde Papa primo suas literas inscripsit ad Patriarcham, quia agebatur de negotio immediate spectante ad suam iurisdictionem, præterea eo tempore præcedebant Episcopi Cardinalibus. Sed de Cardinalibus infra q. 50.

Metro-

Metropolitana ecclesia cum suo prælato præfertur Episcopalibus, & alijs,quia est caput Episcoporum suffraganeorum, & in maiori dignitate constitutus, ergo illis præferendus. Confirmatur, quia ille præponitur, qui pluribus præest, supra q.33.Constat autem Metropolitanum præesse pluribus, quam Episcopus, cum toti Prouinciæ suffraganeorum præsideat, Episcopus vero soli suæ diæcesi. Dicta procedunt etiam in loco, vbi ambo administrationem habent, Catal. G.M. part.4. consid.20. Vide infra q.64.

Episcopalis Ecclesia cum suo prælato præfertur omnibus Ecclesijs, & Prælatis earum in sua Ciuitate, & Diæcesi etiam exemptis Abbatibus,& Prælatis Regularibus. Tum quia ordo episcopalis est culmen dignitatum cap. Penul. de præbend. intellige præter supradictas in ordine ad præcedendum.Tum quia omnes ecclesiæ in Ciuitate, & Diæcesi de iure communi sunt subiectæ Episcopo,cap. Basilicæ omnes 16.q. 7. ac proinde earum Prælati,& Rectores, ergo omnibus præfertur.Consequenter præcedit omnibus Abbatibus etiam exemptis, alijsq; quibuscumq; prælatis. Catal.G. M. part.4.consid.25.

Matrix Ecclesia, cuiusmodi est illa,quæ non habet Episcopum, sed alium prælatum inferiorem, præfertur cum suo prælato quibuscumq; alijs degentibus in loco, quia in ea se habet quasi Episcopus,& est illarum superior, ergo Rectoribus illarum præest.

Collegiata Ecclesia clericorum præfertur Parochialibus ecclesijs, tum quia collegium maius est, quam ecclesia sine collegio.Tum quia ex pluralitate clericorum præfertur Parochiali,quæ vnico cõstat clerico Rectore. Ita Doct.allegati in decis.1.apud Tamb. tom. 3. num. 5. & decis. 2. Nomen Collegiatę, & Conuentualis Ecclesiæ non videntur differre in re,gl.Ecclesijs extr.com.Ne sede vac.& id colligitur etiam ex cap.Cum terra 14.cap.Scriptum est 40. de elect. cap. Inter 15. de off. ordin. cap. Contingit 3.de transact.vbi loquitur de Regular.

Regulares demum Ecclesię præferuntur Parochialibus, & postponuntur Collegiatis secularibus, primum suadetur, quia Regulares habent pręlatum habentem potestatem pro vtroq; foro cum regimine bonorum monasterij; Rector vero prælatus non est, sed simplex pastor pro foro animæ administrando suis ouibus Sacramenta; deinde Regularis præest dignioribus ouibus, quia

religiosis

religiosis iubet, Rector solis laicis prębet Sacramenta sine iussione. Secundũ, quod Collegiatæ præferantur Regularibus, suadetur, tum ex ordine literæ pluribus in locis, Clem. 2. de ætat. Trident. 22. cap. 4. ibi: *In Cathedralibus, vel Colegiatis secularibus, vel regularibus.* Tum quia seculares sunt antiquiores Regularibus, saltem Mendicantium, propter Canonicos Regularium Lateranensium, & Monachos, vt notum est. Tum quia in processionibus Collegiatæ clericorum præstantiorem locum habent. Nec dicas, Ecclesias Regulares æquiparari Catedralibus, gl v. Catedralium, cap. Statutum 11. de rescr. in 6. cap. Ne pro defectu 41. de elect. ibi: *Cathedralis Ecclesia, vel Regularis prælato non vacet.* Quia æquiparantur quo ad prouisionem prælati, ne diutius vacent in præiudicium animarum, & non in ratione prælationis, quia certum est Catedralẽ præferri Regulari, & etiã Collegiatã.

Quæres 50. An Cardinales præcedant omnibus post Summum Pontificem etiam Imperatorem, & Reges?

168 ℞. Cardinales post Papam præferuntur omnibus prælatis ecclesiasticis, ac proinde Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs. Imperator vero illis præponitur, & mediant Reges, iuxta quod dicam.

Primum, quod Cardinales præferãtur omnib. ecclesiasticis, definitũ est ab Eugen. IV. Bulla incip. *Non mediocri dolore afficimur, quã* Et id ratio suadet. Tum quia sunt specialia mẽbra Papæ, cũ quo faciũt vnionem identitatis, Io. Andr. in cap. Requisisti, de testã. col. pen. Contelor. de canoniz. c. 9. n. 15. & 16. ideo ab illis Papa non exigit iuramentũ fidelitatis, ne videatur illud à seipso petere, idẽ in c. Antiqua 3. de priuil. ibi Canon. Vnitas autẽ multũ facit ad præcedentiam, nã Canonici præferuntur Abbatib. quando præsentes sunt Episcopo, vt dicã infra. Tũ quia illi proprie; & proxime sunt collaterales, & coadiutores Papæ S. Bernard. lib. 4. de consid. Tum quia sunt Principes orbis terrarum, Canon. in cap. Pastorali 12. q. 1. Non sic alij prælati, ergo illis præferendi sunt. Tum quia Episcopi, & alij obsequuntur Cardinales in suis aulis, & illos vocant suos dominos, & non è contrà. Tum quia Cardinales iurisdictione, & administratione sunt maiores Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, licet quo ad ordinem sint istis minores, vt docent Bellarm. lib. 1. de cler. cap. 16.

Vasq. par. 3.tom.3.disp.262.cap. 5. Lezana v.Cardinales num. 2.& in hoc consentiunt fere omnes, quos citat Diana resol. 1, de Cardin. Prædicta sunt vera non solum de consuetudine, sed etiam de iure contra Catal.G.M.part.4.consid.9.& 19.Glos.v. Augustinus cap.Quemquam 34.2. q. 7.vbi tamen in Margine dicitur, quod Cardinales maiorem habent dignitatem, Episcopi vero maius officium, vnde quando Episcopatus dicitur culmen dignitatum intelligitur respectu inferiorum.

169 Secundum, quod Imperator præferatur Cardinalibus, habetur in lib.1.Sacr.cærem. sect.3.cap.1.§.Pontifex, sedet ad dexteram Papæ ante Cardinales §. Si huic; legati de latere mittuntur ad illum, sect. 5.cap.2.cap.4.cap. 4.In quibus locis habetur Reges incedere, seu sedere inter Cardinales.

Quæres 51. Quem ordinem præcedentiæ Cardinales seruent inter se?

170 ℟. Cardinales distribuuntur in tres classes, seu ordines & hierarchias, sub prima continentur Cardinales Episcopi; sub secunda Presbiteri; sub tertia Diaconi, qui inter se ita se habent, quod omnes Episcopi inter se præcedunt secundum tempus suæ promotionis, & præferuntur Presbiteris, & Diaconis etiam ante promotis. Presbiteri pariter præferuntur qui prius fuerunt promoti, & simpliciter Diaconibus etiam ante promotis. Idem dic de Diaconis inter se. Ratio prædictorum est, quia in dignitate Cardinalitia omnes sunt pares, ac proinde respectu huius qualitatis attenditur prioritas temporis promotionis, in dignitate vero ordinis differunt inter se, & sicut ordo Episcopalis præfertur alijs duobus, ita ordo Presbiteralis anteponitur Diaconali, ex cap.Cleros 1.dist.21.cap. A Subdiacono 5. dist.93.cap. Non oportet 14.cap.Diaconi 16.cap. Diaconus 18.cap.Legimus 23. cap. Dominus 24.dist.93.& in seq.Igitur vnusquisq; alteri præfertur in respectum ad ordinem, & singuli sub suo capite & hierarchia secundum tempus promotionis.

Quæres 52. An titulus nouiter tributus ab Vrbano VIII. sub nomine Eminentissimi Cardinalibus sit conueniens, & proprius illorum.

171 ℟. Affirmatiue, quia nullus alius magis exprimit eorum excellentem dignitatem, per quam excedunt, & superant cætero

gra-

gradu, & dignitate, id enim importat nomen Eminentiæ; quo significatur excessus supra alios non solum secundum quantitatem molis, vt eminebat Saul supra vniuersum populum 1. Regum cap.9. num. 2. verum etiam sec undum quantitatem virtutis, & qualificationem, vt eminebat Tobias Hircanus nuncupatus 2.Machab. cap.3.num.11. vir eminens, cui soli concessum fuit, vt sua pretiosa custodirentur in ærario Sacri Templi Ierusalem. Habet autem iste titulus nescio quid diuini per quandam analogiam, nam sicut Deus omnes creaturas, & earum perfectiones continet propter suam infinitam omnipotentiam, eminenter, vt docent omnes Theologi, ita & Cardinales (quantum fas est comparatio) in sua dignitate Cardinalitia propter suam excellentiam eminenter imbibunt gradus, honores, & dignitates inferiores, in quantum alijs administrant, præcipiunt, & præferuntur. Demum ita est proprius titulus honoris solum Cardinalibus debitus, cum primum eisdem iure merito per legem sit tributus, vt incongruum sit alijs, illum sibi vsurpare, vt contingit in alijs titulis iam per vsurpationem factis irrationabiliter communibus indifferenter quibuscumq; Cum igitur Cardinales apud omnes primo honore post Summum Pontificem, & Imperatorem cohonestentur, quare nonnulli hunc titulum abhorrent quasi illis indignum?

Quæres 53. Quibusnam Imperator preferatur?

172 ℟. Imperator est vniuersi orbis Dominus per gladium potestatis temporalis receptum à Summo Pontifice, à quo ideo dicitur dependere, & recognoscere dignitatem, & potestatem imperialem super omnes homines, Principes, & Reges totius mundi, primus in dignitate super omnes post Papam.

Probatur primo, quia id clare colligitur ex Euangelio Lucæ 2. n. 1. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Non potuisset autem illud edictum obligare totum mundum, si Cesar totius mundi Imperator non fuisset; ergo Dominus est etiam Regum, cum isti sint in hoc mundo Reges, vnde iure merito Imperator dicitur supremus omnium, l.pen.C.de bonis, quę liber. Dominus mundi, l.deprecatio ff.ad leg.Rhodiam. *Secundo,*
173 primogenitus inter ceteros fratres est maior, Gen. cap. 48. n. 14. *Qui maior natu erat.* Eccli. cap.32.4. *Loquere maior natu,* primoge-

mogenitus ergo præfertur cæteris; sed inter filios Ecclesiæ Dei militantis Imperator est primogenitus, cap. Si Imperator 11. dist. 96. cap. Conueuior 20. 23. q. 8. ibi: *Quid honorificentius, quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur?* ergo omnibus præfertur etiam Regibus, qui secundo loco filij nuncupantur. *Tertio*, Qui immediate promouetur à Principe, ille alijs præferendus est, ex probatis q. 35. sed Imperator specialiter promouetur ad coronationem, quod est signum supremi honoris à Summo Pontifice, ex Libro sacr. cerem. 1. sect. 5. per totam, vbi nichil de Regibus, ergo Imperator præfertur Regibus. *Quarto*, Imperator co-
174 ronatur tribus coronis, vt fertur, aurea, argentea, & ferrea, quæ indicant tria genera subditorum ipsi Imperatori; sub primo continentur barbaræ gentes, & infideles, quos sibi subijcit per coronam ferream, vnde Ecclesia die Veneris Sancti orat pro Imperatore his verbis: *Oremus, & pro Christianissimo Imperatore nostro, vt Deus, & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes.* Sub secundo genere hominum subditorum comprehenduntur Reges, Principes, & alij habentes laicale dominium, & regimen, quos corona aurea sibi subijcit, iuxta illud. *In auro ostenditur Regis potentia*, quod licet dicatur de Christo, potest tamen extendi ad Imperatorem, qui Rex, & Vicarius Christi in temporalibus dicitur secundum Bald. in l. 1. C. de iure aur. annul. & in Epistola D. Petri 2. num. 13. venit nomine Regis Imperator; ibi: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, &c.* Et num. 17. *Regem honorificate* .i. Imperatorem, & prior sententia adducitur pro Imperatore in præcitato lib. 1. sacr. cerem. sect. 5. cap. 3. §. Accipe gladium. Sub tertio genere subditorum comprehenduntur cæteri de plebe populi fideles, quos regit, & gubernat corona argentea, sicut enim populi cum minori facultate gubernantur, cum maiori vero difficultate Reges, & alij Dominantes in populos subijciuntur ob eorum magnam potentiam ponentes ius in armis, non in ratione, ita ad gubernationem illorum sufficit corona argentea minoris valoris aurea, ideo necessaria ad cohibendos Reges subditos, ferrea demum ad subiugandos infideles cum virga ferrea. Hoc triplex genus hominum figuratur in Psal. 8. subiectum homini primo parenti, & in Noe Gen. cap. 9. num. 2.

in Psalmo dicitur: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, & vniuersa pecora campi*; nomine ouium populi obedientes; bouum vero principantes, qui in potestate magni sunt, vt boues in corpore; pecorum autem veniunt infideles, & barbari. Omnia item subijciuntur Noe illis verbis: *Est terror vester, & tremor sit super cuncta animalia* .i. populos, & subditos humiles; *& super omnes volucres cæli*. i. super Reges, & Principes terræ; *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*. i. infideles, & barbari, qui nullum dominium verum habere possunt. Dedit igitur Adamo, & Noe post diluuium imperium vniuersæ terræ, & filijs eorum cum dependentia ad caput, quasi illius Reges, & Principes subiecti. *Quinto*, Papa, & Imperator figurantur illis duobus luminaribus, maiori, & minori, Sole nimirum, & Luna, cap. Solitæ, de maior. sicut enim Sol præest diei, & Luna nocti ambo illuminantes vniuersum orbem, cum dependentia Lunæ à Sole, à quo ea recipit lumen, ita Papa præest diei quo ad potestatem spiritualem, & temporalem .i. omnibus hominibus, quos dirigit quo ad animam, & corpus in actu primo, & secundo quando opus est; Imperator vero vti minor respectu Papæ præest nocti. i. omnibus hominibus quo ad regimen temporale sibi communicatum à Papa, sicut lumen à Sole communicatur Lunæ, quæ illuminat vniuersum orbem, ergo & Imperator sua potestate suprema illuminat, & gubernat instar lunæ omnes orbis terrarum habitatores. *Sexto* Papa cum sit vniuersi Summus Sacerdos, & Maximus Pontifex, congruum est, vt eligatur à personis repræsentantibus totum orbem, & in nomine omnium, ideo Cardinales, qui dicuntur Cardines, super quos voluitur regimen totius orbis, ex supradictis q. 50. eligunt Papam; hinc arguere licet, Adrianum Summum Pontificem, de quo cap. Adrianus 22 dist. 63. dum Imperatori Carolo concessit ius eligendi Papam, confessum fuisse, & tenuisse Imperatorem esse totius orbis superiorem, dominum, & patronum ex allata ratione pro Cardinalibus Papam eligentibus, quia repræsentant vniuersum orbem, sic enim conueniens erat, vt Papa non concederet ius eligendi Episcopum Romanum, nisi illi, qui vniuerso orbi dominaretur, concedendo igitur hoc ius Imperatori, concludendum est Papam habuisse, & tenuisse Imperatorem pro supremo superiore vniuersi orbis supra Reges, Princi-

175 pes,& Populos. *Septimo*, res quo magis tendit ad vnitatem, eo maior, perfectior, præstantior, & excellentior est, vnitas enim in omnibus maxime commendatur, cap. In apibus 41. 7. q. 1. vbi dicitur: *Imperator vnus:* hinc dignitas Papalis suprema est inter omnes ex sua vnitate simplicissima, quæ diuisionem nullatenus admittit; & si quandoq; attentati fuerunt duo Papæ, posterior, priori existente legitimo, vocatus fuit Antipapa. i. sui ipsius destructor, & contrarius vero Papæ, non potuit ergo habere rationem Papæ, cum vnus sit, & indiuisibilis in sua dignitate, quod igitur singulare est, earum dicitur, ac proinde pretiosum. cap. Legimus 23. dist. 59. Sic in Religione Generalis dicitur
176 maior cæteris prælatis, quia vnus est, & Prouinciales maiores superioribus localibus, nam isti sunt plures, illi pauciores, inferiores tamen Generali propter eorum pluralitatem; sed Imperator semper est vnus tantum ex citato cap. In apibus; Reges vero, & Principes plures, vt de se patet, ergo Imperator maior est omnibus Regibus. *Octauo*, Reges cum ex sua institutione sint plures, consequenter non potest de iure vnus illorum dominari toti mundo, quia aliorum regna inique sibi vsurparet contra institutionem, & legem Regum; ea autem ratio pluralitatis repugnat dignitati imperatoriæ, quæ pluralitatem non admittit ex mox dictis, ergo necesse est, quod ex sua institutione sit dominus vniuersi, ergo sibi de iure subijcit omnes Reges, & Nationes. *Nono* Reges obsequuntur Imperatori, nam Federicus quando incoronatus fuit, habebat secum duos Reges Vngariæ, & Boemiæ, lib. 1. sacr. cerem. sect. 5. cap. 3. ergo Imperator maior est Regibus, nam maior est, qui recumbit eo, qui ministrat, & seruit, Lucæ 22. 27. Ita docet glos. per singulos cap. Adrianus 22. dist. 63. gl. 1. cap. in apibus 41. 7. q. 1. gl. transtulit cap. Venerabilem 34. de elect. gl. non vtuntur cap. Super specula de priuileg. Canon. in cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit. Bald. in C. de pace iur. firm. collat. 10. Bald. lib. 3. consil. 359. vbi Imperatorem vocat dominum Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis. Super Reges est, quos coronat, cit. gl. in cap. In Apibus, omnium nationum dominus cap. Volumus 11. q. 1. Iudæorum, l. Iudæi, C. de iud. & ab eo omnes iurisdictiones deriuantur temporales, ex Baldo in C. 1. Quis dicatur Dux. Hanc materiam multis

tis profequitur, fed non fequitur Catalogus G. M. part. 5. confid. 27. & 28. cuius rationes fauore Regis Francorum, quem non effe fubiectum Imperatori multis probat, ex allatis reijciuntur.

Quæres 54. An Cardinalis Epifcopus fuffraganeus in Concilio Prouinciali, & in alijs actibus, in quibus procedit vt Epifcopus Prouincialis cedat locum honorabiliorem Archiepifcopo fuo?

177 ℞. Affirmatiue. Probatur, Tũ quia iurisdictio dat præcedentiam iudici, & fuperiori fuper omnes fubditos, vt notum eft, & colligitur ex l. Iubemus 33. §. omnes C. de Epifcopis, & cler. Decius confil. 161. Rubeus decif. 322. num. 4. Vnde eft præcedentia fuper rectum, Arift. 1. Politic. Borella de Magiftr. edict. lib. 3. cap. 4. num. 8. & confil. 24. num. 2. cum alijs Giurba confil. 38. num. 13. Abbas confil. 21. num. 1. Sed Archiepifcopus eft ordinarius omnium Epifcoporum fuæ Prouinciæ, fuper quos iurifdictionem habet, iuxta quod dicitur, cap. Quia cognouimus 6. 10. q. 3. cap. Paftoralis 11. de off. ordin. vbi glof. v. Exceptis quibusdam. cap. Solicitudinem 54. de appell. iuribus alijs, & doctoribus citatis à Quaranta v. Archiepifcopi auctoritas num. 10. Ergo præfertur Cardinali fuo fuffraganeo. Tum quia ex conuocatione præceptiua colligitur præcedentia cogentis fupra coactum, cum coactus fubijciatur cogenti, tamquam minor maiori; fed Archiepifcopus conuocat, & cogit omnes fuos fuffraganeos, cuiufcumq; fint conditionis, & qualitatis, ex cap. Si Epifcopus 13. dift. 18. vbi Doctores, & in cap. 1. de Pænis in 6. cum alijs Quaranta v. Concilium Prouinciale num. 3. Ergo præfertur etiam Cardinalibus fuæ Prouinciæ Epifcopis.

Dices, fupradictum fuit fub q. 50. Cardinales poft Papam præferri omnibus excepto Imperatore, ac proinde etiam Archiepifcopis refpectu quorum maiorem habent prærogatiuam.

178 ℞. In Cardinalibus duas fpectari qualitates, nimirum Cardinalatus, & Epifcopatus, ratione primi procedit obiectio; ratione fecundi noftra refponfio locum habet, in quo fenfu Cardinalis non vt Cardinalis fed vt Epifcopus fuffraganeus eft in Capitulo Prouinciali, in quo tractatur, & reueretur vt Epifcopus, adeo quod de dignitate purpuræ nulla habetur ibi confideratio, quia actus non eft confiderabilis, quando non confert

præcedentiam, Bald. in capit. 1. de pactis success. Gemin. in capit. A collatione, de appellatione in 6. Gratianus capit. 845. numero 43. Catalogus parte quarta considerat. 44. & 45. vnde præcedens in vno actu, non semper præfertur in reliquis data etiam maioritate personæ, Rota decisione quarta de elect. in Nouis, neque arguitur de vno loco ad alium, Felinus in Rubrica de maioritate numero decimo Rota parte quarta diuers. decis. 865. numero septimo Ludouisius decisione 310. Demum stando in rigore iuris, cum in Concilio sit vt alter Episcopus, eius præcedentia est attendenda respectu aliorum secundum tempus promotionis ad Episcopatum iuxta capit. Episcopos fin. dist. 17. capit. Episcoporum 5. dist. 74. non obstante Cardinalitia dignitate, nam quando dignitas non est ordinata ad actum controuersum, nichil tunc efficit, nec officit alijs, Purpurat in l. 1. ff. de offic. eius, numero 195. Gratianus capit. 106. num. 3.

Quæres 55. De præeminentia, & excellentia Episcopi super omnes alios?

179 ℞. In Concilio Cartaginensi 4. capit. 35. relato capit. Episcopus 10. dist. 95. sic dicitur: *Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbiterorum sublimior sedeat.* capit. Venerabilis 37. de præbend. Episcopatus dicitur culmen dignitatum, quod notauit Glosa v. Dignitatum capit. Licet 2. de præbend. in 6. Octaua Synodus Generalis Constantinopoli habita de honorandis Episcopis hæc statuit. can. 14. his verbis: *Qui diuina gratia Episcopalem sortiuntur dignitatem ordinem cælestis Hierarchiæ referunt in terris. Quare merito sancimus, vt digno in honore tam à Principibus, quam à cæteris omnibus habeantur. Non opportet itaque, vt Principibus, vel viris militari dignitate præditis obuiam longissime procedant ab eorum ecclesijs, nec à mulis, equisue descendant in occursum.* Gradus enim Episcopalis est culmen, & apex eminentissimæ dignitatis à Christo Domino immediate communicata suis Apostolis, quibus Episcopi deinde successerunt. Merito Tridentinum sess. 35. capit. 6. de eorum præcedentia hæc statuit *Episcopis præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisq; in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint.*

Vides,

Vides, quanto in honore Epiſcopalis dignitas habenda ſit, cum omnibus præferendus ſit ille vir, qui illa præfulget, & ſublimatur. In ſua autem diœceſi dicitur habere imperium ex cap. Contra idolorum 10.26.q.5.cap. Attendendum 13.17.q.4.cap. de hæret.in 6.Bald.in Auth. Ea quæ C. de Epiſc. & cler. num.6. Gemin. in cap. Cum Epiſcopus de off. ordinar. in 6. cum alijs Diana par. 6.tract.2.reſol. 5. Dignitas Epiſcopalis ſumma eſt in Eccleſia Dei præter Papatum, cui Regum fulgor & Principum Diademata tamquam auro plumbum, cælo, terra, Spiritui caro, diuinis humana comparantur, inquiunt Sancti Patres Ambroſ. cap. 2. & 3.de dignit.Sacerd. Chryſoſtomus lib. 3.de Sacerdot. Nazian. orat.17. ad ſuos Ciues. S.Ignatius ad Smirnenſes vocat ſummum honorum,qui tribui poſſunt hominibus.S.Ephren tom. 1. ſermon. de ſacerdotio, ait eſſe poteſtatem ineffabilem. S.Niſſenus de Vita Moyſi rem non humanam,ſed diuinam;Hęc & alia refert Barboſa de poteſtate Epiſcopi tit, 2. gl. 1.à num.1.ad 5. & ex eo Melſius in Comment. Conſtitut. ſui Ordinis Minor. de Obſeruantia cap.1.Statuto 3.§.1. Gelaſius 1.relatus tom.2. Cōcil.tit.de Anathem. vinculo maiorem facit Epiſcopi dignitatem imperatoria, & alia plura ibidem referuntur, merito igitur preferendus eſt Epiſcopus, etiam propter eius vnitatem, vnus enim tantum conſtituitur in ſingulis ciuitatibus.

Quæres 56. An Epiſcopi Palliati præferantur non Palliatis? De vſu Pallij agitur diſt. 100. tit. de auctor. & vſu pallij in Decretalibus, & in extrau. com. eodem tit. in libro Sacr. Cęrem. lib.1. ſect.10.cap.8.Catal.G.M.par.4.conſider. 26.

180 Pallium autem eſt ornamentum proprium Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Primatum, atq, aliquorum Epiſcoporum. Datur autem Archiepiſcopis in ſignum amplioris dignitatis, & perfectionis, in quo diſtinguuntur à cęteris Epiſcopis, cum quibus tamen conueniunt ratione ordinis, reſpectu cuius omnes dicuntur eſſe pares. Pallium autem habet quatuor cruces purpureas,ſcilicet ante, & retro,à dextris, & ſiniſtris,quæ ſunt quatuor virtutes Cardinales,Iuſtitia,Fortitudo,Temperantia,& Prudentia, quas niſi exerceat Archiepiſcopus, in quarum rubro colore eius exercitium vſq; ad effuſionem ſanguinis pro tuenda fide, & eccleſia ſponſa ſua deſignatur, non intrabit in regnum cęlorum.

lorum. Ante susceptionem Pallij suo fungi non potest officio ex cap. Quod sicut 28. §. Super eo de elect. Palliatus si transferatur
181 ad aliam ecclesiam, in ea illo vti non potest, quia datur non solum contemplatione personæ, sed etiam loci, inquit glos. fin. cap. Bone 4. de postul. prelator. Infra quamlibet ecclesiam sue Prouincie, & non extra, vti potest Pallio, cap. 1. de auctor. & vsu pall. Alteri Archiepiscopo suum Pallium accommodare non potest, cap. 2. eod. Per Pallium confertur plenitudo pontificalis officij, & nomen Archiepiscopale cap. Nisi 3. eod. Archiepiscopus extra suam Prouinciam Pallio vti non potest, cap. Ex tuarum 4. eod. in qualibet ecclesia sue Prouincie diebus permissis, hoc est solemnibus, celebrare potest cum Pallio cap. Cum sis 6. eod. alijs diebus sine Pallio, & sandalis vbique potest celebrare, cap. fin. eod. Ioan. Baptista Rubeus de diuinis off. lib. 1. cap. 60. plura ex dictis refert, concludens, Archiepiscopum Pallio vti non posse nisi intra ecclesiam, nisi habeat priuilegium vtendi illo extra in processionibus, &c.

182 ℞. Affirmatiue. Tum quia magis priuilegiatus prefertur minus priuilegiato, supra q. 34. Tum quia Pallium est signum magni honoris, & non nisi ex meritis datur, cap. Prisca 2. cap. Rationis 7. dist. 100. ergo Palliati præferuntur non Palliatis, ius enim præcedendi fundatur in honore cap. 1. de maior. vt dixi q. 2. Tum quia Palliũ significat plenitudinem potestatis Episcopalis, cap. Ad honorem 4. cap. Quia 7. eod. ac proinde maiorem inducit potestatem, ergo merito præferuntur alijs Inpalliatis. Tum quia per receptionem Pallij Episcopus fit Archiepiscopus cap. Nisi 3. eod. sed Archiepiscopus præfertur Episcopis, supra q. 49. ergo & Palliatus non Palliato.

Quæres 57. Quem ordinem seruent Episcopi in sessionibus, responsionibus, & subscriptionibus in Concilijs.

183 ℞. Attendendam esse in prædictis præcedentiam secundum tempus eorum ordinationis, vt expresse dicitur cap. Episcopos 7. fin. dist. 17. his verbis: *Episcopos secundum ordinationis suæ tempus, siue ad considendum in Concilio, siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vendicare.* Ita respondit Gregorius Papa I. lib. 7. Registri Epist. 112. Syagrio Episcopo Augustodunensi. Non atten-

attenditur ergo prioritas erectionis ecclesiarum, & Episcopatuum, sed personarum dignitas secundum prioritatem ordinationis earum. Idem dicitur cap. Episcoporum 5. dist. 74. quod posteriorem priori nullus præponat; cap. 1. de maior. vbi dicitur, quod prius ordinatus cæteris paribus prior, & maior habeatur. Bene dicitur *cæteris paribus*, quia maiori dignitate præditus, licet posterior ordinatus, præferendus est illi, qui prius fuit ordinatus existens in minori dignitate, vnde in eodem Concilio Cardinales præferuntur cæteris, Archiepiscopi non Archiepiscopis, Palliati, non Palliatis, &c. Ratio autem cur in his præcedentia accipiatur ab ordinatione personæ, non ab erectione ecclesiæ, refertur à Glosa cit. cap. Episcopos, ex l. Nemo 2. C. de officio Magistr. offic. vbi dicitur, quod is gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. Valde enim incongruum est, vt qui hodie factus est Episcopus, cras in Concilio digniorem locum obtineat supra alios, qui diu laborauerunt in Ecclesia Dei.

Quæres 58. An supradicta, & infra dicenda locum habeant in Episcopis etiam Regularibus? Ratio dubitandi est, quia clerici seculares præferuntur clericis Regularibus, ergo & Episcopi seculares Regularibus?

184 ℞. Habent locum. Probatur, Tum quia pares sunt in ordine, & dignitate, ergo attenditur tempus ordinationis. Tum quia eadem est iuris dispositio respectu vtriusq; status, ergo eodem iure censendi sunt. Tum quia comparatio debet inter illos fieri, quatenus omnes Episcopi sunt, attento tempore promotionis, in qua tantum differunt, ergo in hoc tantum eorum attenditur præcedentia.

Quæres 59. An Episcopi exempti immediate subiecti Apostolicæ Sedi præferantur alijs non exemptis?

185 ℞. In istis quoq; attēditur tempus; nisi sint palliati, quia exemptio aufert tantum subiectionem ab Archiepiscopo, non exaltat illos supra suffraganeos, respectu quorum non spectatur exemptio aliorum, quæ refertur tantum ad Archiepiscopum. Neque Catal. G. M. part. 4. consid. 24. fauet glos. 1. cap. Per tuas 7. de maior. ibi: Est hic argumentum pro exemptis Episcopis, vt in Synodo sedeant in meliori loco, quia lex dicit, quod primo scri-

benda sunt nomine eorum, qui dignitates iudicio principis consecuti sunt, l. fin. ff. de albo scrib. Quia omnes Episcopi iudicio Papæ promouentur, & ab eo eliguntur ad dignitatem. Prædicta locum haberent, quando electus, immediate à Papa consecraretur, esset enim tunc præ alijs priuilegatus, qui consecrantur de eius mandato ab alijs Episcopis.

Quæres 60. An Episcopi titulares, cuiusmodi sunt habentes honorem sine onere, & populo, postponantur alijs, qui loco, & dignitati cohærent? Titulares sunt, qui eliguntur ad Ecclesias existentes in terris infidelium, in quibus non possunt residere, vel quia Ecclesiæ sunt destructæ, vel quia si extant, non sunt populi catolici. Eadem quæstio fieri potest de Patriarchis, & Archiepiscopis illorum locorum.

186 ℟. Postponuntur alijs, tum quia Patriarchæ, & Archiepiscopi sine administratione, & iurisdictione æquiparantur Episcopis titularibus, eo quod pares sunt in ordine Episcopatus, & vltra nihil aliud habent, per quod excedant alios, exceduntur ab Episcopis habentibus populum, cum isti habeant iurisdictionem, & administrationem, ergo præferendi sunt titularibus. Tum quia
187 maior est ille, qui actu habet administrationem, quam qui habitu tantum, & sine spe ad actum, res enim quælibet perficitur per actum, non per habitum, & potentiam. Tum quia maior est
188 habens administrationem eo, qui illa caret, cap. Perlectis dist. 25. sic Archidiaconus est maior Archipresbitero carente administratione, cap. 1. de off. archid. Tum quia præsidens pluribus maior est, quam qui præest paucioribus, Auth. Constitutio, de dignit. §. Generaliter, vbi glosa dicit, esse præmium dignitatis habere plures subditos; sed Episcopus actu administrator sine comparatione habet subditos, quibus caret simpliciter titularis, ergo à fortiori est maior titulari.

Quæres 61. An Episcopi, qui renuntiarunt, retineant suum ius precedendi inter Episcopos?

189 ℟. Vltimum retinent locum respectu aliorum, Tum quia licet non dicantur renuntiare ordini, sed tantum loco, ex cap. Post translationem 11. de renunt. prope finem, ibi: *Loco tantummodo cesserit, non ordini*, cuius caracterem adhuc retinent, non sequitur tamen quod retineat prærogatiuam maioritatis, quę fundatur

in

in iurisdictione, & administratione respectiue, quibus carent Episcopi renunciantes. Tum quia æquum est, vt continue laborantes in vinea Domini præferantur non laborantibus, qui renuntiauerunt oneribus suis, ac proinde honoribus debitis ex oneribus. Tum quia æquiparantur Episcopis titularibus, qui sicut curam nullam habent circa oues Domini, ita nec isti, qui renuntiauerunt populo.

Quæres 62. Quem locum habeat Episcopus Religiosus, qui renuntiando oneribus, reuertitur ad ordinem?

190 ℞. Assignandus est illi locus immediate post superiorem, quia per translationem ad Episcopatum non deteriorauit anteriora iura, sed illa perfecit, & auxit per promotionem ad Episcopatum, cui cessit quo ad locum, non quo ad ordinem, & dignitatem. Ita ex Petro de Baysio in Direct. elect. part. 1. cap. 30. num. 8. docet Peyrin. tom. 3. de priuileg. cap. 2. num. 8. Verum quidem est, quod isti carent voce passiua perpetuo inhabiles ad officia, &

191 dignitates, & eorum electores ad prædicta carent ipso iure perpetuo vocibus, ex Bulla Pauli IV. incip. *In sacra*, 21. apud Nald. v. Episcopus num. 34. illis tamen non negatur vox actiua, quia in Bulla id non exprimitur.

Quæres 63. An Archiepiscopi præferantur Episcopis Palliatis? Videtur attendendum tempus promotionis, iuxta dicta q. 57. quia sunt pares, nam etiam Palliati dicuntur Archiepiscopi, ex dictis q. 56.

℞. Præferuntur, Tum quia præsunt suffraganeis, non item Palliati, qui diœcesi contenti carent Prouincia. Tum quia ampliorem habent populum, cum præsideant diœcesis, & prouinciæ populis. Tum quia vocantur Archiepiscopi Palliati, non ex paritate, sed quia non subsunt Archiepiscopis, ac si essent Archiepiscopi in sua diœcesi, cum non dicantur suffraganei. In sequenti magis id patebit.

Quæres 64. An Archiepiscopus præferatur simpliciter omnibus Episcopis non solum suffraganeis, sed etiam exemptis, & alijs?

192 ℞. Sic, *Tum quia* est magis priuilegiatus alijs, cap. Igitur 5. cap. seruatis 6. 25. q. 25. *Tum quia* Ecclesia Metropolitana est collo-

193 cata cum suo prælato in potiori statu, & conditione, atq; grandiori honore, quam sint Ecclesiæ Episcopales cum suis Episco-

pis,

pis, cap. 5. extrau. com. de pręband. *Tum quia* est pater, & pastor suffraganeorum, & populorum eorum, & respectu illorum vti membrorum dicitur caput, cui obedientiam, & reuerentiam exhibere debent, ergo istis praefertur, sicut pater filijs, pastor quibus, & caput membris praeponitur. *Tum quia* Archiepiscopus est ordinarius iudex omnium suffraganeorum suae prouinciç, cap. Quia cognouimus 10. q. 3. cap. Pastoralis, de off. ord. cap. solicitudinem, de appell. *Tum quia* fit appellatio per subditos à suffraganeis ad Archiepiscopum, cap. Romana, §. In alium, de appellat. in 6. ibi Doct. Quaranta v. Archiepiscopi auct. 18. Sed appellatio est à minori ad maiorem iudicem, vt notum est, ergo. *Demum* ex delatione Crucis ante Archiepiscopum etiam per totam Prouinciam arguitur eius praeeminentia, & superioritas supra suffraganeos, ex Zabar. in Clem. Archiepiscopo, de priuil. num. 5. Vitalin. not. 3. Quare praefertur etiam Cardinalibus eius suffraganeis, habemus nunc duo exempla Archiepiscoporum Mediolani, & Rauennae, qui Cardinales suffraganeos sub se habent, Mediolanensis Odescalcum, Rauennatensis Rossetum, illum Episcopum Nouariae, hunc Fauentiae.

Quæres 65. An Metropolitanus, qui descendit ad regimen Ecclesiae Episcopalis factus & ipse suffraganeus praeferatur alijs suffraganeis, qui non fuerunt Archiepiscopi. Quar. v. Concilium Prouinciale q. 22. in Addit. dicit, quod in Synodo sedere debet immediate post Metropolitanum, & sic praecedere alios suffraganeos antiquiores, arg. tex. in l. 1. ff. de albo scrib. & Rubr. C. vt dignitat. ordo seruetur lib. 12. & hoc in memoriam pristinae dignitatis, & honoris, quem gessit, ratione cuius retinet iura reuerentialia; praeterea Archiepiscopus translatus ad Ecclesiam suffraganeam cessit loco, non dignitati, arg. tex. cap. 1. de ordin. ab Episc. qui renunt. cap. Post translationem. de renunt. Quibus non obstantibus.

194 ℞. Archiepiscopus, qui cessit Archiepiscopatui, & translatus fuit ad episcopatum suffraganeum, non habet primum locum supra alios suffraganeos. *Tum quia* in hoc casu est par caeteris suffraganeis, ergo tunc attenditur tempus promotionis. *Tum quia* licet non dimiserit dignitatem ordinis, quia ordo ab illo inseparabilis est, perdidit tamen dignitatem amplioris iurisdi-

ctionis,

ctionis, & administrationis, ratione cuius præeminebat alijs non Archiepiscopis; ergo sublata dignitate Archiepiscopali, vt dicit quid supra Episcopos, tollitur etiam præeminentia tamquam accessorium illi. *Tum quia* reuerentialia iura Archiepiscopalia desinunt esse per descensum ad reuerentialia Epispcopalia, per descensum enim perditur, sicut per ascensum aquiritur, ergo post translationem attenduntur sola reuerentialia Episcopalia, consequenter vti Episcopus tantum honorandus est. *Tum quia* transiens à Collegio ad Collegium non retinet prærogatiuas prioris collegij, sed spectatur precise quo ad qualitates posterioritatis collegij; per transitum enim censetur renuntiasse illis hoc ipso, quod renuntiauit collegio, ac consequenter illis prærogatiuis ab eo pendentibus; pari ratione, qui renuntiauit Archiepiscopatui cessit etiam honoribus pendentibus à dignitate Archiepiscopali. Dicta de Collegio intellige, quando ambo incompossibilia sunt, si enim potest simul coaptari Doctor in duobus Collegijs, non dicitur renuntiare priori, non ideo tamen in secundo vtitur iuribus aquisitis in priori, quia illa non communicant, Vide Bart. in l. fin. C. de colleg. illicit. *Tum quia* sicut vna domus religiosorum vnius Ordinis transiens ad domum alterius Ordinis seruare tenetur mores illius, ad quam transit, cap. Recolentes 3. de statu mon. ita Archiepiscopus à suo ordine recedens, & transiens ad Episcopos, illorum oneribus, & honoribus metiendus est. *Tum quia* maioritas Archiepiscopi supra Episcopum pendet non ab origine, cum ambo eumdem ordinem Episcopatus habeant, cap. Cleros, dist. 21. sed ab iurisdictione, & administratione maiori, atq; prouinciali supra suffraganeos; sed huic renuntiauit per translationem ad Ecclesiam suffraganeam, ergo non amplius retinet huiusmodi præeminentiam qua debeat præcedere cæteris. *Tum quia* D. August. q. 35. Veteris testam. apud Peyrin. de Subdito q. 1. cap. 28. §. quarto, scribit: *Qui in officijs sunt, tamdiu honorandi sunt; quamdiu præsunt.* sed Archiepiscopus, qui renuntiauit non amplius est in eo officio, ergo vt talis honorandus non est; sed tantum vt alter Episcopus. Et ex his patet, Archiepiscopum cedentem non retinere iura reuerentialia proportionata priori dignitati; quia desinunt esse vti accessoria administrationi, cui renuntiauit, remanente tantum iura pro-

por-

portionata ordini Episcopali, respectu cuius tantum honorandus est. Ad aliam rationem quoq;patet, quia non solum loco renuntiauit, sed etiam dignitati; non Episcopali, cui non potest renuntiari quo ad ordinem, sed tantum Archiepiscopali, remanentibus iuribus reuerentialibus suffraganeis proportionatis.

Quæres 66. An Episcopus vnus ex Principibus Ecclesiæ, vt est Episcopus Regij Lombardiæ præferatur alijs suffraganeis non habentibus talem dignitatem?

195 ℟. Affirmatiue, Tum quia magis priuilegiatus præfertur alijs minus priuilegiatis ex q. 34. Tum quia ornatus pluribus dignitatibus præfertur alijs habentibus pauciores, Bald. in l. sed & milites 9. in princ. de excusat. tut. Ruin. lib. 1. consil. 19. num. 9. Menoch. lib. 2. consil. 126. num. 9. cum illis Gratian. tom. 5. Disceptat. cap. 845. num. 32.

Quæres 67. An Episcopus in Ecclesia Regulari præsente etiam Generali digniorem sedem habeat?

196 ℟. Affirmatiue, quod colligitur ex Tridentino sess. 25. cap. 6. illis verbis. *Episcopi præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisq; in choro, & in capitulo, in processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus, quam ipsi elegerint.* Licet autem non fiat mentio de Choro Regularium, sed tantum de choro, nichilominus id intelligendum est de omni choro etiam in Ecclesijs Regularibus, *Tum quia* Tridentinum dicit, quod Episcopus vbique est honorandus, ergo etiam in Ecclesijs Regularibus. *Tum quia* Episcopus, quando ius habet exercendi Pontificalia in Ecclesijs Regularibus etiam Monachorum, & Canonicorum Regularium in illis potest erigere Baldachinum, ex Bulla Clem. VIII. quam refero Resol. 7. q. 27. num. 104. consequenter ille attollendus est in loco digniori. *Tum quia* Episcopus in Regularibus non desinit esse talis, ergo vt Episcopus, cui debetur dignior sedes, honorandus est. *Tum quia* maior est omnibus Generalibus cuiusuis ordinis, ergo locum primum supra Generales occupare habet.

Quæres 68. An Episcopo debeatur præeminentia, iuxta superius dicta, ante consecrationem, quando est tantum electus?

197 ℟. Incipit ius præcedentiæ habere à tempore ordinationis, quia tunc incipit esse Episcopus, & habere potestatem ordinis

Episco-

Episcopalis, cap. Transmissam 15. cap. Qualiter 17. de elect. cap. 2. de translat. Episcop. antea vero solum vocatur Electus, lib. 1. Sacr. Cærem. sect. 10. cap. 7.

Quæres 69. Quem locum habeat Episcopus in Congregatione, seu Capitulo, quando in eo sedet vt Canonicus, seu alio titulo?

198 ℞. Habet primum locum post Præsidentem in Congregatione; non habet digniorem, quia non est caput Capituli, cui soli competit primus locus, licet alias caput, seu Rector Capituli, extra sit inferior Episcopo; obtinet vero secundum locum propter dignitatem Episcopalem, quæ omnium dignitatum culmen est, in quo excedit omnes de Collegio in sedendo, respondendo, & subscribendo, præter caput, & Rectorem. Ita gl. v. Prælatus cap. A collatione 11. de appell. in 6. Abbas in cap. Auditis, de elect. n. 4. Boer. de auct. mag. consil. num. 65. Acchiles decis. 11. de præbend. Catal. G.M. part. 4. consid. 45. Barbosa ad sess. 25. cap. 6. num. 46. multis allegatis, dicit Episcopum in Collegio vt Canonicum sedere in loco ad eum spectanti vt collegiatum, citando gl. supradictam, quæ dicit, Episcopum subscribere post Archidiaconum, vel alium, qui ibidem præsit Capitulo, ergo non facit pro Doctoribus ab eo allegatis. Igitur Episcopo, siue sit in capitulo vt Canonicus, siue in alio Collegio, debetur secundus locus post Præsidentem, nam Tridentinum sess. 25. cap. 6. dicit, quod vbiq; honorandus est, non honoraretur autem vt Episcopus vbiq; si in Collegio deberet sedere iuxta tempus incorporationis. Hac ratione Episcopus Mileuitanus in consilio sedet post Magnum Magistrum, seu Priorem, quia in ea congregatione adest non vt Episcopus, sed vt deferēs magnam Crucem. Puteus lib. 3. decis. 105. Cōtelor. de Præced. n. 20. Pari ratione Episcopus Vicarius existens alterius Episcopi in Congr. S. Officij sedet à sinistris Inquisitoris, quia ibi est, vt Vicarius Episcopi, nō vt Episcopus, in quo casu dignitas Episcopalis non cōsideratur. Est autē dignitas Episcopalis spectanda inter personas collegiatas, & Canonicos, quia licet in Collegio, & Capitulo intersit vt collegiatus, seu ut Canonicus, quatenus. s. uocem habet sub illis rationibus, tamen dignitas Episcopalis nō excluditur à sibi debitis respectu membrorum, per quæ illi defertur, sed dicitur spectari minime in ordine ad caput, cui est immediate postponendus.

Supra-

Supradictus Puteus loco citato in fine dicit Episcopo deberi secundum locum in Capitulo suorum Canonicorum, qui alias sibi subiecti sunt, & ita intelligit glosam cap. A collatione, de appellat. non vero id procedere in Collegio, vbi supra alios collegiatos nullum ius habet, sed tunc sedere habet iuxta tempus, quo aggregatus fuit Collegio. Sed placet magis prior sententia, tum ob Tridentinum decernens Episcopum vbiq; esse honorandum; tum quia habens plures dignitates præfertur; tum quia licet dignitas Episcopalis non spectetur respectu Præsidentis, & capitis, consideratur tamen respectu consociorum, & collegiatorum, qui carent ea dignitate, qua illis supereminet.

Quæres 70. An Episcopus Comes, seu Marchio, aut Eques præferatur alijs Episcopis carentibus illis titulis?

199 ℞. Negatiue, quia ex illis gradibus, cum laicales sint, nullum oritur ius præeminentiæ, siquidem dignitas laicalis nunquam est maior ecclesiastica, nisi sit de supremis, faciunt dicta q. 41. consequenter Episcopus per illam excedere non potest alios Episcopos. Ita Iacobatius lib. vlt. de Concil. cap. 15. num. 25. & 26. quem citat Contelor. de præced. Generalis Domin. supra Commendatorem S. Spiritus num. 24. Quod si mihi obijcias, supra q. *66.* Episcopum Principem præferri alijs non Principibus; Respondetur, disparem esse rationem, nam Marchionatus, &c. non est gradus ecclesiasticus, sicuti est Principatus, de quo ibi, consequenter habens plures gradus eiusdem, non diuersi ordinis, præfertur habenti minorem. Attenditur ergo maior dignitas, quæ minorem absorbet, ex alijs allegatis docet Manrique q. 23. de præcedentia num. 13.

Quæres 71. Quæ præcedentia seruatur inter Episcopum, & Inquisitorem in Congregationibus S. Officij, & reis abiurandis? Sequentes rationes fauent Inquisitori. *Prima*, quia habet potestatem immediate concessam à Papa, vnde in causis dicitur procedere potestate delegata à Principe, Episcopus vero iure proprio, & potestate ordinaria, ex Pegna in part. 3. Direct. Comment. 54. Simanch. tit. 43. num. 13. cum alijs apud Dianam part. 4. tract. 8. resol. 47. sed maior est potestas delegata à Papa, quam ordinarij, cap. sane 11. de off. deleg. cap. Pastoralis 11. de off. ordin. ergo Inquisitor præferendus est Episcopo, cum in hoc casu sit maior,

arg.

arg. cap. Statuimus 15. de maior. iuncta glos. primum locum. *Secunda*, Inquisitores tenentur Episcopos delinquentes in casibus hæresis denuntiare Sedi Apostolicæ, cap. Inquisitores 16. de hæret. in 6. ex quo docent Pegna part. 3. com. 76. Simanch. tit. 25. num. 8. cum alijs apud Dianam part. 4. tract. 8. resol. 21. Inquisitorem posse sumere informationes contra Episcopum hæreticum; immo aliqui apud prædictum Dianam resol. 51. de excommun. asserunt, posse Inquisitorem excommunicare Episcopum, quæ omnia arguunt superioritatem supra Episcopum. *Tertia*, Bernardinus Comensis in sua Lucerna Inquisit. v. Inquisitor num. 15. dicit, quod potestas Inquisitoris est maior, nobilior, & fortior iurisdictione ordinarij in negotio Inquisitionis, secundum Gemin. & Ioan. Andreæ in cap. Per hoc, de hæret. ergo præferendus est Episcopo, sicut ille, qui vices, & locum tenet Papæ. *Quarta*, promoti immediate à Papa præferuntur alijs, cap. Penul. dist. 9. ex glos. v. Eligit, cap. Per tuas, de maior. Inquisitores immediate à Papa promouentur, licet à Cardinalibus proponantur, vt alijs citatis docet Sousa lib. 1. cap. 2. num. 4. Aphorism. Quibus non obstantibus. De hac re iterum infra sub q. 180.

201 ℞. Episcopus in negotijs Sanctę Inquisitionis prefertur Inquisitori, qui ipso petente accedit ad palatium Episcopale ad expedienda negotia huius materię, quando Episcopus vult personaliter interesse. Probatur, Tum quia Episcopatus est culmen dignitatum, gl. v. dignitatum in cap. 2. de prębend. in 6. Parisius Cardin. consil. 141. num. 26. vnde magna est eius dignitas, Bursat. vol. 4. consil. 351. num. 14. ac proinde S. Ambros. circa principium sui Pastor. ait: *Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari.* Tum quia officium hoc contra hęreticam prauitatem prius est in Episcopis, quam delegatum Inquisitoribus, vt colligitur ex Direct. cum Pegna part. 3. com. 32. vbi Bariola; & Inquisitores sunt quasi illorum coadiutores. Tum quia potestas ordinaria maior, & fortior est, cum delegata facilius tollatur, quam ordinaria, l. 1. §. Qui mandatum, ff. de off. eius, cui mand. l. Iudicium soluitur ff. de iud. Imola in cap. Volentes, de off. leg. num. 5. Sed Episcopus est Inquisitor, & Ordinarius in officio hoc, vt colligitur ex cap. Per hoc 17. cap. Vt Inquisitionis 18. de hæret. in 6. Aphor. Episcop. v. hæresis num.

1.clarius cap. Ad abolendam 9. eod. extremis verbis bene Farin. q. 186. de hæresi num. 6. Ciarlin. cap. 120. 32. alijs allegatis. Inquisitor vero solum iure delegato, cap. Præsidentes 6. eo. in 6. idem Farinac. à num. 17. Tum quia in hoc officio prius nominatur Episcopus, quam Inquisitor, vt videre est in multis capitibus tituli de hæreticis presertim in 6. & in alijs Bullis de hac materia. Demum ponamus eos pares in officio, quicquid enim potest vnus sine altero potest alter sine alio, vt bene colligitur ex Bullis presertim cap. Per hoc citatum; nec potest Inquisitor procedere contra Episcopum ex Tridentino sess. 24. cap. 5. soli Papæ iudicium reseruatur; nec obstat, quod cap. Inquisitores 16. de heret. in 6. quod teneantur eos hæreticos denuntiare Papæ, quia is est actus obedientiæ, non iurisdictionis, quare cum culmen dignitatis episcopalis vltra officium spectetur, merito Episcopus præfertur Inquisitori. Bene Ferro q. 22. de præced. num. 6.

Ad rationes pro contraria parte respondetur ad primam, delegati
202 potestatem esse maiorem potestate ordinarij, quando delegatus est iudex contra Ordinarium, vt aperte dicitur in citatis iuribus, vt dixi supra num. 136. Inquisitor autem non est iudex contra Episcopum etiam in casu hæresis, ex Bulla Pij IV. incip. *De salute gregis*, quam citat cum Doctoribus Barbosa ad sess. 13. cap. 6. Ad secundam, ex denuntiatione debita non arguitur maioritas, & superioritas in denuntiante supra denuntiatum vt dixi. Ad tertiam, falsum est, potestatem delegatam esse maiorem, & fortiorem ordinaria, ex allata ratione superius pro Episcopo, & ex ijs, quæ retuli supra num. 136. Ad quartam, nichil per illam probatur, quia etiam Episcopus immediate promouetur à Principe, à quo solo eligitur. sed de hoc infra. Non desinam hic subijcere aliam responsionem grauissimorem Doctorum, quæ talis est.

℞. Certum esse, ac indubitatum Episcopum in actibus Sancti Officij, dum vna cum Inquisitore sedet, priorem locum tenere, & quia in pronuntiandis sententijs ambos contingit conuenire, prius Episcopum, & postea Inquisitorem nominari. Adest insuper decretum Sanctissimi D.N. Vrbani Papæ VIII. & Sacre Congregationis Sancti Officij Romæ intimatum Inquisitoribus anno 1635. quo præcipitur, vt si consultationibus, quæ fiunt in

Sancto

Sancto Tribunali Episcopus interesse voluerit, teneatur Inquisitor adire Palatium Episcopalem pro tali functione, non obstante quacunq; consuetudine in contrarium, etiam si sit immemorabilis.

Non est tamen ex præfata præcedentia deducendum, quod Episcopi iurisdictio in cognoscendis, & tractandis, seu etiam expediendis causis Sancti Officij maior sit iurisdictione Inquisitoris, nam oppositum est verum, quia Iurisdictio Episcopi est ordinaria, illa vero Inquisitoris est iurisdictio delegata, Inquisitor enim est Iudex delegatus à Papa ad causas fidei cogooscendas, & consequenter tenet locum Papæ in huiusmodi causis cognoscendis, & expediēdis. Directorium Inquisitorum p 3.q.4.& ibi Franciscus Pegna Simanchas cath. institutionū titulo 34. n. 13. Locatus in Iudicali Inquisitorum v. Inquisitor n. 5. & sequentibus Sousa aphor. Inq. lib. 1. cap. 2. n. 4. Farinacius de hæret. q. 186. num. 88. qui multos allegat. Constat autem iurisdictionem delegatam maiorem, ac fortiorem esse iurisdictione ordinaria, & Iudicem delegatum maiorem esse Iudice ordinario, textus est clarus in cap. Sanè quia de officio delegati, vbi indistincte, & absolute dicitur. Iudex à nobis delegatus vices gerit. Vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum causam susceperit terminandā, & ibidem dicitur, eum habere iurisdictionem cōtra Episcopum, & contra quamlibet personam molientem impedire suam iurisdictionem, vt possit per censuras contra huiusmodi impedientes procedere. Ex his deducunt Doctores supra inducti locis supra citatis, quando si quis pro crimine hæresis fuerit citatus ab Episcopo, & ab Inquisitore pro eodem tempore, teneatur talis citatus se præsentare coram Inquisitore relicto Episcopo. Si tamen Episcopus procederet tanquam delegatus, Sedis Apostolicæ, vt fit quando procedit contra exēptos, tūc Episcopus, & Inquisitor pares essent, cum ambo in tali casu procedant vt delegati, & in isto casu ille citatus posset se præsentare cuinam maluerit, ita Direct. Inquisitorum, & ibi Pegna vbi supra, neq; officit potiori iurisdictioni Inquisitoris assignata in principio Episcopi præcedentia, nam talis præcedentia competit Episcopo ratione dignitatis personæ ipsius, quæ maior, diuturnior, ac firmior est, quam sit dignitas personæ cui ex delegatione huiusmodi causa com-

mittitur, & ideo quando Papa nominat Episcopum ante Inquisitorem, respicit personæ dignitatem, quando autem comparat iurisdictionẽ à se delegatam potestati ordinariæ, prius inducit potestatem delegatam. C. pastoralis de off. ord. & ita etiam euidenter docet Vmbertus Locatus in Iudiciali.

Sed quid dicendum quo ad sedibile, locum, & modum sedendi?

℞. Pares debent esse sedes, & quo ad altitudinem, & quo ad ornatum, & super terram, vel aliud collocatæ, ita ut vna non sit altior altera, in omnibus ergo earum æqualitas attenditur. Ratio est, quia in officio, quod exercent sunt coniudices æqualiter, ergo pares in omnibus sedes occupare debent. Confirmatur, quia in hoc habent rationem vnius in iudicando, ergo vniformitatem seruare debent etiam in sedendo, iudex enim pro tribunali sedet, cum suum exercet officium. Episcopus tenet manum dexteram propter suam dignitatem eminentem alijs.

Quæres 72. Quis primo subscribat libros edendos, & licentias, concurrentibus Episcopo, Inquisitore, & Gubernatore?

203 ℞. Passim primo subscribit Inquisitor, Tum quia agitur de negotio fidei, respectu cuius præ alijs pręcipue Inquisitor censurat libros edendos; Episcopus vero, & forum laicale vnusquisque pro tuenda præsertim propria iurisdictione, ne quis contra eorum iura scribat. Tum quia officiales inquisitionis sunt primi motores ad protegendam catolicam fidem intactam ab hæresibus, in qua continue se exercent, Episcopi vero occupati potissimum sunt in grege suo pascendo, & corrigendo. Tum quia ita se habet praxis, vt libri censurandi prius deferantur Inquisitoribus, quam Episcopis, sic practicatur Mediolani, vbi primum subscribit Vicarius S. Officij deinde aliquis ex deputatis ab Archiepiscopo, demum deputatus laicus pro Senatu. Bononiæ primo subscribit deputatus pro Archiepiscopo, deinde Vicarius S. Officij. Romæ primo subscribit Vicesgerens, si videbitur Magistro Sacri Palatij, demum ipse Magister, ambo iubent impressionem. Verum quidem est, quod prima reuisio librorum edendorum promouetur à superioribus Regularibus, ad quorum attestationem subscribit superior Regularis, deinde ad testimonium deputatorum per Inquisitorem subscribit ipse Inquisitor, consequenter maiores sunt posteriores, vt plurimum in subscriptione. Hic

Parmæ primo subscribit Doctor libri censor, in cuius fidem deinde subscribit Iuquisitor; deinde Vicarius Generalis Episcopi; demum Gubernator Ciuitatis. Sed non est immorandum in his.

Quæres 73. Quem locum habeat Episcopus coadiutor alterius Episcopi? Vide Paris. libro 7. de Resignat. quæst. 20. vbi plura.

204 ℟. Postponitur omnibus Episcopis, & præponitur alijs dignitatibus habens primum stallum in choro, & alibi. Illud probatur, quia caret ornamentis iurisdictionis, & dignitatis, neq; habet rationem capitis, cum caput adhuc viuat nempe Episcopus coadiutus, neq; in eius sede potest sedere, quia eadem sedes non capit duos, ex relatis à Quaranta v. Archiep. Auctor. 17. in Addit. Deinde dicitur habere ius ad rem, alij Episcopi in re etiam, ergo postponitur alijs. Hoc suadetur, quia est Prælatus, Archid. in cap. Quamnis 7. q. 1. num. 6. Glos. in cap. 2. 7. q. 1. Paris. lib. 7. de Resignat. q. 20. num. 17. Deinde multa exercere potest, in quæ se ingerere alijs non licet, ex citatis, ergo præfertur alijs. Gauantus v. Coadiutor numero 5. refert decisum 14. Ianuar. 1623.

Quæres 74. Quis præscribit Indulgentias?

205 ℟. Cardinales, & Episcopi, per se primo, aut per suos Vicarios, & non alij ante illos subscribunt, quia ad Episcopum maxime spectat examinare, & perscrutari de veritate Indulgentiarum, ex Trident. sess. 21. capitulo nono, & sess. 25. in fine in Decreto de Indulgentijs. Ad alios autem non spectat examinare Indulgentias, neq; ad Inquisitores, ideo non subscribunt, nisi subsequenter.

Quæres 75. An Legatus de Latere Cardinalis non Episcopus precedat Archiepiscum, seu Episcopum in loco suæ delegationis, & Archiepiscopatus?

206 ℟. Prefertur Legatus, *Tum quia* est Cardinalis ex allegatis q. 50. *Tum quia* maiorem habet prerogatiuam, quam Ordinarius, ex cap. Si à sede 31. de prebend. in 6. vbi dicitur, quod quando non constat de prioritate beneficij collati pluribus, præfertur ille, cui collatum fuit à Legato. *Tum quia* ordinarius debet honorare legatum, cap. Ego, de iureiur. *Tum quia* maiorem habet

potestatem ordinario, cum absoluere possit ab excommunicatione ob percussionem clerici licet notoriam, in vtroque foro etiam extraneos, quando res non fuit deducta coram iudice. Ex capitulo. Quod translationem 4. de offic. legati, cap. Ad eminentiam 20. de sent. excom. & facit glos. v. Mittantur cap. Excommunicatis 9. de offic. legati. Et ita docui in meis Miscellan. Decis. 25. ex citatis capitibus, & ibi probaui, posse absoluere dummodo non sit denuntiatus, quia tunc absolutio spectat ad ipsum iudicem, & non ad Legatum de Latere. Procedunt dicta etiam respectu Cardinalis in sua Prouincia Ordinarij, quia magna est dignitas Legati à Latere, ex quo pręfertur.

Quęres 76. Quem ordinem pręcedentię seruent Canonici Cathedralis inter se?

207 R. Seruare debent ordinem hierarchicum, vt primum, & digniorem locum habeant Canonici Sacerdotes, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi, licet isti promotione sint antiquiores prędictis, nulla obstante consuetudine. Ita Riccius parte prima Resolutione 564. asserens Canonicum maiorem ordine pręferri minori licet antiquiori. Decisionem nouissimam ad verbum retuli quæstione duodecima. Gauantus v. Præcedentia numero 38. & ea consuetudo vti abusus detestatur à Sacra Congregatione, & ita tenuit Abbas in capitulo Statuimus de maior. §. Item nota contra consuetudinem, nempe, illam esse contra honestatem Ecclesiæ; & ex his tollitur opinio Host. & Felin. super dictum caput, asserentium valere consuetudinem, minorem in ordine prius receptum pręferri maiori in ordine, eo quod attenditur qualitas Canonicatus, non ordinis, sed hoc falsum est, cum ordo hierarchicus in Ecclesia attendatur iuxta qualitatem sacrorum ordinum, vt infra patebit, & dixi cit. quęstione duodecima. Canonicus autem anterior possessione pręcedit posteriorem in possessione, licet iste sit prior in data, vt probat pręcitatus Riccius parte 1. resol. 565. & par. 3. resol. 270.

Quęres 77. An Canonici pręferantur alijs non Canonicis.

208

208 ℞. Præferuntur *Primo* quando sunt parati, non solum alijs Canonicis non paratis, nam ornatus ecclesiasticus tribuit aliquid ornato supra alios, Præpositus in cap. Episcopos dist. 17. num. 3. vbi Anton. Rubr. & alij, sed alijs quoq; vt Vicario Generali, vt decisum refert Gauantus v. Præced. num. 25. ad 28. etiam Decano præferuntur, Gauant. v. Pręced. in Addit. num. 15. *Secundo*, quando cum Episcopo suo sunt in Capitulo, vel processione, sunt enim illius membra, & ille eorum caput, innaturale autem, & incongruum, membra esse diuisa à capite, & aliquid mediare inter illa, cap. Non decet 1. dist. 12. atq; caput, & membra eodem iure censentur, gl. v. Ac per hoc, cap. In Synodo dist. 63. gl. v. quæ non probãtur, cap. Ex ore 17. de priuileg. In quo casu præcedunt etiam Prælatos inferioris ecclesiæ, cum prædictæ rationes intrẽt, Gemin. in cap. Quamuis §. Quamquam, de præbend. num. 3. Marcus decis. 526. num. 3. vol. 1. Boer. de auctor. magni consil. num. 79. qui loquuntur de Abbate postponendo Canonicis in Capitulo, & processionibus, qui tamen eisdem præfertur spectatis, vt singularibus, & extra illa loca, Boer. part. 1. de ordin. & præced. grad. num. 21. Decius in cap. 2. de iudicijs num. 19. *Tertio*, Canonici simpliciter præferuntur Clericis, & Canonicis inferiorum Ecclesiarum, quia Canonici Catedralis dicuntur Clerici primi ordinis, & reliqui secundi ordinis; præterea Ecclesia Catedralis præfertur alijs, quæ respectu illius dicuntur inferiores, ergo & illius Canonici, ita docent Innoc. in cap. Fraternitatem, de sepultur. §. Et maior honor. Boer. de auctor. magni consil. num. 78. Felin. in Rubr. de maior. ante num. 5. Vers. præfertur, etiam in Ecclesijs eorum collegiatis, decisum refert Gauantus v. Præcedentia in Addit. num. 8. *Quarto* Canonici Catedralis in Capitulo, & processionibus præferuntur Prothonotarijs, non autem extra decisum refert Gauantus 11. Præced. num. 31. & 32. *Quinto*, præferuntur priori Collegiatæ ex eodem Gauanto num. 36. *Sexto*, Canonici Collegiatæ Romanæ præferuntur Canonicis cuiuslibet Catedralis, Zerola part. 2. v. Canonica, Gauantus num. 37. *Septimo*, Capitulum Ecclesiæ maioris inuitatum vel si adeat Ecclesiam inferiorem ad aliquam functionem præcedere debet Canonicos, & Prælatos inferiores etiam in proprijs Ecclesijs, quia Capitulum repręsentat Episcopum, vel est eius

pars corporalis. Rota tom. 1. Nouiss. decis. 111. *Octauo*, Canonici Cathedralis non Doctores adhuc præferuntur Doctoribus Præsbiteris, decisum refert Gauant. in Addit. num. 11. intellige tu in Congregationibus coram Episcopo, vel Vicario, non autem extra, cum deferendum sit gradui doctoratus, qui est dignitas, ex cap. Quanto de Magistr. & dicitur ordo perspicuus in Ecclesia, cap. Cum ex iniuncto 13. de heret. cap. Sicut 15. eod. & Doctor vbique est Doctor, Bald. in l. 1. §. Huius studij, apud Bossium sect. 3. de Iubil. casu 2. num. 218. Felin. in cap. Causam, de rescr. 17. *Nono*, Canonici Cathedralis in omnibus præferuntur Magistratui seculari, quando is non est de perpetuis, & maioribus, Gauant. v. Precedentia in Addit. num. 12.

209 Quare precedunt Gubernatori, seu Pretori, aut Priori Ciuitatis, isti enim in suis officijs perpetui non sunt, sed ad certum tempus, vnde in Ecclesia sedere habet Magistratus ad partem Epistolæ, Canonici ad partem Euangelij, consequenter Thurificarius prius Thurificare incipit Canonicos, quam alter Magistratum, quem incipit Thurificare post primum Canonicum incensatum, quando adest vsus duorum Turibulorum, aliter successiue continuatur incensatio ab omnibus Canonicis ad Magistratum. Procedunt dicta siue sint in Cathedrali, siue in alijs Ecclesijs, ex eodem Gauanto num. 17. Vide in sequentibus.

Quæres 78. An Canonici præferantur Curato in funeralibus?

℞. Minime, nisi presente Episcopo. Probatur. *Tum quia* quisq; in domo sua est maior, & dominus, l. Nichil omnino C. de palat. sacr. largit. lib. 2. Capicia decis. 27. num. 24. & 25. Corneus lib. 2. consil. 193. num. 15. *Tum quia* Parochus solus in funeralibus habet rationem personæ publice, & in actu sui officij talis est per se, & non ex accidenti, quales sunt inuitati, qui se habent potius vt persone priuate, aut vt cetera Collegia inuitata quibus ex se, & ex officio non incumbit hoc munus, sicut Parocho, ergo is omnibus preferendus est. *Tum quia* qui in officio sunt, tamdiu honorandi, quamdiu presunt, S. August. apud Peyrin. de sub. q. 1. cap. 28. §. quarto; sed Parochus tunc maxime est in suo officio, & præest in solicitudine, ergo honorandus est loco digniore. *Tum quia* Patronus in sua Ecclesia pre alijs honorandus est, cap. Pie mentis, cap. Frigentius 16. q. 7. *Tum quia* ex administratione arguitur

prece-

præcedentia, gl. in cap. 1. de officio Archipresb. sed tunc solus Parochus habet administrare, ipse enim ex officio administrauit omnia Sacramenta, & non Canonici, ergo ad eum solum spectat funus, ac proinde omnibus præferendus. *Tum quia* in sua Parochia est ordinarius, & quasi prælatus, ergo vt talis in officio parochiali recognoscendus est. *Tum quia* ornamentum facit præcedere, nam videmus in processionibus hebdomadarium paratum, licet alias inferiorem, præcedere omnes; sed Parochus procedit ad hoc munus cum cotta, & stola, ergo pro tali honorandus est in præcedentia. Ridiculum est, illum accedere ad funus ornatum, & nullum actum præseferre spectantem ad ornatum. *Tum quia* Canonici nunquam accedunt ad funus nisi inuitati, quod signum est, illos interesse, sicuti aliæ Collegiatę tum Seculares, tum Regulares, consequenter cum istis debent subordinari Parocho. Rem hanc fauore Parochorum contra Capitulum Cathedralis adæquate probat Gratianus Discept. cap. 298. & cum eo Theodosius Rubeus, Barbosa in Pastorali allegat. 78. num. 38. Salgado de regia protect. par. 2. cap. 9. num. 46. & 54. Manriq. de hac materia q. 32. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 2. num. 24.

Dixi, Canonicos non esse præferendos in funeralibus Parocho, nisi præsente Episcopo, quia tunc cum Canonici vnum faciant corpus cum Episcopo capite, tamquam membra debent esse vnita in eodem corpore cum capite, qui est Episcopus, sicut enim in naturalibus membra in eodem corpore vnita sunt cum capite, itaut nichil mediare potest inter illa, vt manifestum est, ita inter Canonicos, & Episcopum vti membra sub capite in eodem corpore, incongruum est mediare Parochum; Episcopus enim est primus Parochus totius suæ diœcesis, & Parochus Parochorum, vnde immediate potest non solum funus ducere, sed omnia Sacramenta ministrare in qualibet Parochia, quod præstare non possunt Canonici, neq; simul, neq; diuisim, hoc enim incumbit Episcopo vt Episcopus est, Canonici autem licet sint membra cum ipso capite vnius corporis, non ideo tamen eumdem actum, & officium habent, ad Roman. 12. 4. Pro Canonicis stat nouissime Pasqual. q. 79. Lauor. de Prisco, & recenti funer. tit. 2. cap. 3. à num. 209.

Quæres 79. Vter ex duobus Curatis præferatur?

213 ℟. Præcedit ille, ad cuius Ecclesiam cadauer defertur, siue sit Secularis, siue Regularis, quia ex quo cadauer recepit vltimum Vale à suo Parocho, incipit esse sub iure Curati ad cuius Ecclesiam defertur. Ita Romæ seruari testatur Lauor. tit. 2. de funer. cap. 3. num. 219. Vbi refert Acta Eccles. Mediol. decernere, quod vtrique Parochi super pelliceo, & stola induti pares progrediantur; non exprimunt, cui debeatur manus dextera. Sed dic tu vt supra, de quo vsu testatur etiam Barbosa de offic. Parochi cap. 9. num. 13. apud Gauantum v. Præcedentia in Addit. num. 32. Inter plures Parochos attenditur prerogatiua Ecclesiæ siue sit Secularis, siue Regularis, ex eod. Gauanto num. 31. Quando in eadem Parochia ob multitudinem populi sunt duo Curati ex æquo, ambo pariter procedunt, sed dexteram tenet, qui facit officium, si corpus defertur ad propriam Parochiam, vel ad Regularem non Parochialem, vel ad Confratrum Oratorium; si vero deferatur cadauer ad parochialem extraneam cedunt ambo Parocho ad cuius ecclesiam defertur cadauer.

Quæres 80. An Canonicus renuntians priori canonicatui, & recipiens alium teneat locum antiquum ?

214 ℟. Dimittens priorem canonicatum, & alium recipiens sedet vltimo loco, Probatur. *Tum quia* extinctum fuit primum ius præcedendi, ergo cum de nouo aliud ius aquirat per nouam possessionem alterius canonicatus, vltimo sedere debet, quia hoc nouum ius vltimum est. *Tum quia* antiquus locus non potest capere duo, vnde si est plenus per alium Canonicum, necesse est, quod sedeat vltimo loco, nisi dimissio fiat per optionem, quia tunc gradatim ascendunt, & qui habebat postremum locum occupat penultimũ. *Tum quia* si collegialis desinit esse de Collegio, & locus eius repleatur, iterum reuersus non recuperat priorem locum, secundum Bart. in l. 2. de Decur. Anton. de Butrio in cap. Ex transmissa de renunt. num. 10. *Tum quia* dimittens in hoc æquiparatur deposito; sed depositus, & postea restitutus non recuperat priorem locum, quia restituitur per nouam possessionem, & non per antiquam continuatam, cum ea fuerit destructa depositione, seu dimissione, ex citatis Doct. quibus adde Boer. loquentem de Canonico, de auctor. magni consil. num. 82. Ita decisum refert Gauant. v. Præced. in Addit. num. 20.

Quod

Quod si Canonicus resignat cum pacto regrediendi in casu, quo resignatarius moriatur, tunc recuperatis præbenda, & canonicatu obtinet antiquum locum in stallo, & capitulo, vt à Rota decisum refert Parisius lib. *6.* de Resignat.q.5.num.35.quia per illud pactum sibi contenuaret ea omnia iura, quæ primo consequutus fuerat, mediante Sedis Apostolicæ approbatione.

Quæres 81. An Canonici tam Catedralis, quam Collegiatarum præferantur alijs clericis tam secularibus, quam Regularibus?

215 ℞. Quando concurrunt capitulariter siue singulariter cum alijs de clero præferuntur quibuscumq; non graduatis iuxta superius dicta, maxime in congregationibus, processionibus, & synodis. Vide Gauantum v.Præced.in Addit. à num.24.ad 26.

Quæres 82. An Canonici, & alij Sacerdotes seculares, quibus de iure, seu consuetudine competit pręstare aliquod munus processionis, celebrationis, &c. in Ecclesijs Regularibus, præferantur eisdem regularibus in horum Ecclesijs, habẽtes digniorem locũ?

216 ℞. Affirmatiue, *Tum quia* quandocumq; alicui competit facere aliquid in ecclesia siue propria, siue aliena, tunc ratione illius officij, quod præstare debet, omnibus pręferẽdus est, Abbas in cap. Postulast's de concess. prębend.n.8.Gemin.in cap. A collatione, de appellat.in *6.* n.7. *Tum quia* respectu eius functionis censetur maior, & dignior, quamuis alias non esset, si spectaretur in seipso. *Tum quia* clericus secularis censetur præstantior regulari. Ita decisum fuisse referunt Lucerna Regul. v. Præced. & Vulpius in praxi fori eccles.cap.34. Barbosa in decis. Apostol. collect.*643.* num. 2.

Quæres 83. An Prælatus, seu Prior illius Ecclesiæ, in qua Capitulum, seu Canonicus, vel alius de iure fungi debet aliquo munere ecclesiastico, præferatur exercenti officium?

217 ℞. Maxime, tũ ob rationes adductas in pręcedẽti. *Tũ quia* in illa functione non habet ius Prælatus, aut capitulũ, seu cõuentus Ecclesię, in qua ea functio pręstatur ab extraneo, cuius de iure est propria, ergo neq; tũc dicitur habere locum in propria Ecclesia. *Tum quia* illa spiritualis functio est signum, & argumentum honoris, qui præstatur ab Ecclesia inferiori superioribus, & eius clericis; præstatio autem honoris per condignam receptionem importat concessionem loci nobilioris, & manus dexteræ, gl.

v.

v. Primatus, cap. Quam periculosum 7.q. 1. & in l. Decernimus in princ. & in v. Residendi, C. de Sacros. Eccles. Abbas in cap. Nobis, de iurepatr. Felin. in Rubr. de maior. num.88. Tiraq.de iure primog. in præfat. n.13. Tambur. decis. 113. vbi probatur, Priorem, & Canonicos Collegiatæ S. Mariȩ de Pilari debere cedere manum dexteram Capitulo Metropolitanæ incedenti processionaliter ad cantandum ibi Missam. *Gauantus v. Praced.in Addit.num.*27. Decisum, Canonicos quoscumq; præcedere Regularibus etiam in horum ecclesijs.

Quæres 84. An Prior absq; cura animarum Ecclesiæ Parochialis præcedat alios beneficiatos in eadem Parochiali, licet antiquiores?

218 ℟. Præcedere vbique, quia Prioratus est dignitas, cap.Nisi 21. de præbend. qua carent alij beneficiarij, quibus ideo præferendus, siquidem dignior præfertur minus digno, & sine dignitate existenti, vt dictum fuit supra num. 40. Gauant. ita decisum refert v. Præced. in Addit. num. 30. Si carent subditis dicitur tantum in habitu, Tambur. decis. 10.

Quæres 85. An collegiata licet simplex præferatur Parochiali etiam antiquiori?

219 ℟. Affirmatiue, ex adductis sub num.167.§.Collegiata,& refert decisum Gauantus v. Præced. in Addit.num.22.& 23.

Quæres 86. An Collegiata facta insignis prȩferatur alijs simplicibus, quibus antea cedebat ius honoris?

220 ℟. Affirmatiue, quia alijs facta est dignior, dignitas autem superueniens facit præcedere contra illum, qui erat in pari gradu, l.1. C. de consul. lib. 12. vbi vir consularis ornatus patriatu, qui est maior consulatu, vt in l.Nemo, eod. præfertur ei, qui prius fuit consul, ibi gl. Ioan.de Platea, Gauant.v. Præced.in Addit.num. 21.

Quæres 87. An Episcopus Regis Consiliarius sedeat ante omnes Consiliarios post caput consilij.

221 ℟. Sedet in loco suæ receptionis inter consiliarios. Ita Riccius in Praxi resol. 203.num.3. ex eo Gauant.v. Præced.in Addit.n. 2.vbi num.seq. ex Barbosa de iure eccles. lib.1.cap. 12.num.35. dicit, quod Episcopus si adsit in regio senatu, vel in regalibus Cancellarijs ex causa alicuius propriæ litis, sedebit inter senatores

tor es

tores ad ſiniſtram Pręſidis; intellige tu in capite cum Pręſide, ſicut facit Vicarius ad ſiniſtram Inquiſitoris in Congregatione. Quod Epiſcopus Conſiliarius ſedeat iuxta locum, quem tenent alij Conſiliarij, tradit Purpur. lib. 1. ff. de offic. eius, nu. 195. Collegium Peruſinum inter conſilia Tobię Nonij 72. num. 21. Lanar. conſil. 88. num. 17. ex illis Contelor. de præced. num. 20. Supradicta intellige, quando non eſt Epiſcopus loci, vbi congregatur Conſilium, iuxta dicta ſuperius ſub. q. 69.

Quęres 88. An Epiſcopus Dięceſanus in ſua eccleſia, & per totam dięceſim in exercendo munere ſuo præferatur omnibus prelatis ſe alioquin maioribus?

222 ℟. Affirmatiue, excepto ſuo Metropolitano, cui vt dięceſanus cedere debet vti ſuo ſuperiori, & valet ea regula: Vbi eſt maior ceſſat minor; cap. Denique diſt. 21. cap. fin. diſt. 95. cap. Volentes, de off. legati, intellige, quando Metropolitanus vult ipſe exercere Pontificalia. Reſpectu vero aliorum, qui ius non habent, pręfertur Dięceſanus, quia vti in domo ſua in omnibus eccleſijs ſuę ciuitatis, & dięceſis patronus, & maior eſt, arg. eorum, quę tradunt Doct. in l. Nichil, C. de palat. ſacr. larg. lib. 12. Corneus lib. 2. conſil. 193. num. 15. Decian. vol. 2. conſil. 67. num. 12. Ita deciſum refert Gauant. v. Præced. in Addit. num. 1.

Quęres 89. Quem locum teneant Coadiutores Canonicorum, qui vocantur Canonici in obliquo?

223 ℟. Coadiutor ſubeſt, & poſtponitur omnibus Canonicis in ordine; ſi autem ſit in dignitate conſtitutus abſente, vel impedito Canonico adiuto, ſedet in eius ſtallo, & obit eius functiones.

Primum ſuadetur. Tum quia nondum eſt Canonicus viuente coadiuto ergo illis comparandus non eſt. Tum quia non habet poſſeſſionem canonicatus, cum in ea adhuc ſit coadiutns, neq; enim eiuſdem rei duo in ſolidum poſſeſſores eſſe nequeunt, l. 3. §. ex contrario ff. de aquir. poſſeſſ. cap. Licet 9. de probat. Tum quia coadiutor habet tantũ ius ad rẽ, Canonicus vero in re, quod fortius eſt, ergo vltimum tenet locum. Ita Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 9. num. 101. Nald. v. Canonicus num. 5. alios citat Barboſa ſeſſ. 25. cap. 7. num. 17. & 18.

Dixi, *in ordine*, quia ſi Canonici ſunt diſtincti in diuerſos ordines Pręsbi-

Presbiterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum, tunc Coadiutor sedet in vltimo loco eiusdem Ordinis sui coadiuti supra alios Canonicos, qui sunt ordinis inferioris; tum quia vnicuiq; seruandus est proprius ordo; tum quia Coadiutor Sacerdotalis inseruit in officio sacerdotali, ergo præferendus est inseruienti in Diaconali. Ita Gauantus v. Coadiutor num. 24. Franciscus de Leone in Thesauro fori eccles. part. 2. cap. 4. num. 57. & 58. ex illis Diana part. 4. tract. 4. resol. 88. Anton. Cottonus ex nostris eius Compend. v. Præcedentia.

Secundum de constituto in dignitate pluries decisum fuit teste eodem Barbosa ad cap. 7. sess. 25. num. 20. Ratio est, quia defertur dignitati.

Quęres 90. An ordo hierarchius seruandus sit inter prębendatas vbi distinguuntur Prębendę in Prębiterales, Diaconales, & Subdiaconales?

224 ℞. Affirmatiue, quia iste ordo fundatur in ordinibus sacris, respectu quorum seruatur ordo hierarchicus, vt Sacerdotum vnus alteri pręferatur iuxta tempus ordinationis; Sic Diaconorum inter se, & Subdiaconorum, itaut singuli in suo ordine pręferantur iuxta ordinationem. Idem seruatur inter Canonicos, ergo & inter Prębendatos, cum non minus teneantur isti, quam illi seruare ordinem hierarchicũ, qui dicit dispositionem superiorum, & inferiorum vniuscuiusq; sub suo capite, & capitum inferiorum ad superius. De hoc ordine testatur Gauantus v. Pręced. in Addit. num. 18. respectu Prębendarum, & de Canonicatibus alio v. Pręced. extra Addit. num. 38. & dixi supra q. 76.

Quęres 91. De pręcedentia Archipresbiteri, & Archidiaconi inter se, & respectu aliorum?

225 ℞. Archidiaconatus de iure communi cap. 1. & seq. de off. Archid. est in Cathedrali prima dignitas post Episcopum, cuius dicitur Vicarius in omnibus, & omnis cura in clero ad eum pertinet, vt expresse dicitur eodem primo capite. De hac re eleganter more suo Anastasius Germonius lib. 3. de immun. sacros. cap. 3. à num. 67. & in tract. de Indultis Cardin. §. Etiamsi secularia, à num. 17. vbi dicitur imperare Archipresbitero, respectu cuius maior est ratione administrationis, licet quo ad ordinem maior sit Archipresbiter Ambæ in Cathedrali intrinsece sunt dignita-

tes

tes, licet careant cura,& administratione, Aretin.consil.23.col. 2.Vers.Secundo præmitto,Boer.decis.286.num.3.Imola in cap. De multa, de præbend.num.40. Archidiaconus de iure Vicarius est, sede vacante,vsquequo fiat Vicarius Capitularis, Zerola in praxi episc.v.eod.Archidiaconus sibi subijcit Archipresbiterum, cap. 1.de off. archipr. vbi glosa dicit quod Archidiaconus est maior Archipresbitero quo ad dignitatem, non quo ad ordinem, ita cum gl. dicunt Canon. quos citat Annibal Rocchus de Visitat.v. Archidiaconus. Archipresbiter censetur dignior, quo ad gradum ordinis sacerdotalis, quo ad diuina officia,eius enim partes sunt celebrare diuina officia solemniter absente Episcopo, & alia præstare de quibus cap. officium, de off. Archipresb. non minus gerit vices Episcopi, ex adductis, quam Archidiaconus ex cap.Episcoporum 5. dist. 74. Nota autem, quod Archidiaconus tenens baculum Episcopi incensatur post Assistentes Diaconos, licet sit prima dignitas, decisum refert Gauant. v. eod. in Addit. num. 3. defert enim baculum; in funeribus vero cedit locum Archipresbitero habenti stolam, vt refert decisum ibidem num 7. Vide Riccium par. 1. Resolut. 566.

226 Paulus III. concessit priuilegium ciuitati, & diæcesi Parmensi, vt causæ secundæ instantiæ cognosci possent ab Archipresbitero Parmę Cathedralis, vel eo absente, à Canonicorum Decano, vel à iudicibus ab ipsis datis in omnibus causis ecclesiasticis, beneficialibus; matrimonialib. & alijs quibuscumq; ita Anastasius Germon. de Indultis Cardin. §. Per quæ sublatis, num. 60.& seq. vbi probat, hoc priuilegium non fuisse sublatum per Tridentinum sess. 13. cap.2.sess.24.cap.20.§. Ad hæc.

Supradicta procedunt de iure, nam de consuetudine pluribus in locis Archipresbiteratus censetur prima dignitas; sed quoniam non intendo singulorum in specie cognoscere præcedentiam, ideo me remitto ad vsum, & praxim Cathedralium.

227 Sed quid dicendum, quod vtraq; dignitas caret iure, iurisdictione,& administratione? Puto, maiorem esse dignitatem Archipresbiteri, quia tunc dignitas specificatur ab ordine.

Quæres 92. An Rector Ecclesiæ Matricis carentis Collegiata præferatur Collegiatæ in ecclesia inferiori?

228 ℞. Præfertur Rector Canonicis, seu Clericis Collegiatæ, quia habet potiora iura respectu ecclesiæ matricis, quæ maior, & dignior dicitur Ecclesia Collegiata, cum sit inferior & subiecta cum suis clericis matrici. Rota Rom. part. 3. diuers. decis. 1243. Riccius part. 1. Resolut. 631.

Quæres 93. An Archipresbiter ruralis in suo Archipresbiteratu, seu Plebanatu præferatur omnibus?

229 ℞. Sic, & quia præest plebibus; & quia ecclesiæ sub ipso dicuntur minoris tituli, cap. fin. de off. Archipresbit. & quia caput est aliorum Presbiterorum ex vi vocis, ergo omnibus sui Plebanatus præferendus est, vt colligitur ex dicto capite. Ita Parolettus part. 3. cap. 6. de Præcedentia, part. 3. Regul.

Quæres 94. De præcedentia Parochorum inter se?

230 ℞. Attenditur primo prærogatiua ecclesię, quæ dignior præfert suum clericum alijs minus dignis; secundo inter pares ecclesias, attenditur antianitas temporis aquisitæ possessionis.

Quæres 95. An Parochus Ciuitatis præferatur Archipresbitero rurali?

231 ℞. Contrarium esse de iure cap. fin. iuncta gl. fin. de off. Archipresbit. quia Archipresbiter ruralis habet iurisdictionem ordinariam, vt ibi dicitur, & est dignitas ruralis, ex Puteo lib. 2. decis. 378. quibus carent Parochi; ergo illis præferendus est. Parolettus part. 3. cap. 6. §. Verum quia, in secunda declarat. dicit. Arimini seruari oppositum.

Quæres 96. An Rector præferatur Vicario ecclesiæ?

232 ℞. Non, quando is est perpetuus, siquidem Vicarius perpetuus dicitur ordinarius, gl. v. & iurgia cap. 1. dist. 25. & habere beneficium, ex cap. Postulasti 27. de rescr. ergo cum par sit Rectori, ab eo non est postponendus quod ad hoc, sed attendenda est inter illos prioritas temporis. Quod alij in oppositum dicunt intelligitur de Vicario non perpetuo, qui dicitur possidere beneficium iure alieno, perpetuus vero possidet iure proprio in re, iure tantum alieno ex vi iuris, neq; ius potentius habet Rector, quia in Vicario perpetuo ius durat vsq; ad mortem Vicarij, sicut in Rectore.

Quæres 97. An Parochus Doctor præferatur non Doctori Parocho?

233 ℞. Affirmatiue, quia maior eſt habens ordinem cum dignitate, quam ſine dignitate, Turrecr. ad cap. Epiſcopus diſt. 17. Burſatus lib.4.conſil.343.num.8. ſed Parochus doctor habet dignitatem cum ordine, nam doctoratus eſt dignitas, & magna prærogatiua in Eccleſia, cap. Quanto 3. de Magiſtris, ibi Canon. & Doctores in eccleſia ſunt quaſi radij ſolis, cap. Multi 44. de pænit. diſt. 2. Merito igitur Parochus Doctor præfertur non doctori.

Quæres 98. An Doctor Canonicus præferatur alteri Canonico non doctori? Item an Doctor ſimpliciter præferatur Canonicis? Vide infra q. 222.

234 ℞. Extra Eccleſiam, & Capitulum, atq; Congregationem in Epiſcopali Palatio, præfertur Doctor etiam non Canonicus Canonicis, ea ratione, quia conſtitutus in ordine, & dignitate præfertur carenti dignitate ex Turrecr. & Burſato citatis præced. q. ſed Doctoratus dicitur eſſe conſtitutus in dignitate, cap. Quanto 3. de magiſtris, dicitur ordo præcipuus in eccleſia, cap. cum ex iniuncto 13. de hæret. & in eccleſia Dei Doctores ſunt velut radij ſolis, cap. Multi 44. diſt. 2. de Pęnit. & vbique eſt Doctor, Bald. cum alijs, quos in hac re citaui q. 77. Canonici vero per canoniam non dicuntur conſtituti in dignitate, vt colligitur ex

235 cap. fin. de off. deleg. in 6. ex quo non poſſunt eſſe Conſeruatores, iuncta gl. v. obtinentes, Tambur. tom. 3. diſp. 17. q. 1. num. 10. vnde de iure canonicatus, & dignitas ſunt incompatibiles, Put. lib. 3. deciſ. 189. & Canonicus obtinens dignitatem perdit canonicatum, Barboſa ad cap. 4. ſeſſ. 7. num. 7. & quod canonicatus non ſit proprie dignitas de communi aſſerit Pariſ. lib. 2. de Reſignat. q. 1. num. 102. ergo Doctores illi pręſeferuntur. Dixi, extra eccleſiam, &c. quia ſub hoc reſpectu præferuntur vti membra Epiſcopi capitis, & vt corpus politicum, quod pręfertur ſingulari perſonę etiam dignificatę. Quod doctor Canonicus præferatur non doctori docet Franciſ. de Aret. conſil. 23. cum Paroletto part. 3. cap. 6. §. Ideo Doctores præcedunt. Riccius par. 3. Reſol. 271. num. 6.

Dices, eſto Canonicatus non ſit preſſe dignitas ex eo, quod non habet adiunctam adminiſtrationem, & iuriſdictionem iuxta dicta num. 31. ſed tantum ſtallum in choro, & vocem in capitulo, ſecundum Doct. in cap. In Geneſi, de elect. vbi gloſa, nichilominus

nus dignitas est non minus, quam ea doctoris, qui non dicitur habere administrationem, nec iurisdictionem ex vi doctoratus,
336 vnde hæc dignitas in vtroq; potius vocatur personatus ex cap. Ad aures 8. de rescr. gl. in cap. 1. de consuet. in 6. gl. v. Dignitatibus cap. 1. §. sed si pars, de elect. in 6. Vide Sigism. dub. 62. de elect. num. 4. Portellum v. officia ordinis, in Addit. ex quibus colligitur, Personatum esse quandam prerogatiuam præcedendi alijs in choro, capitulo, & alibi, cum alijs priuilegijs sine administratione, & iurisdictione: ex quo patet qualitatem doctoratus non superaddere Canonicatui, immo rem è contra se habere, Canonicatum supereminere doctoratui, siquidē Canonicatum habere in Ecclesia Cathedrali est magnus honor, & præeminentia, ex cap. Quamuis, de præbend. in 6. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 2. num. 39.
337 Respondetur, esse maiorem honorem doctoratum, cum Doctores in ecclesia velut radij solis fulgeant, & eorum gradus sit precipuus in ecclesia Dei, ex supra allegatis; & doctoratus dicitur auctoritas magna, l. Magistros C. de profess. cap. Quāto, de mag. præferuntur ceteris in ecclesijs, Puteus lib. 3. decis. 200. num. 3. eorum autem auctoritas cognoscitur ex eo, quod habent facultatem interpretandi, glosandi, & explicandi leges; & in casibus arduis in ecclesia occurrentibus adhibentur tamquam consiliarij, vt videre est in Sacris Concilijs, presertim in Tridentino, initio sess. 25. vbi Theologos Episcopus adhibet in consiliarios in recognitione nouorum miraculorum, & Reliquiarum. Doctores catedralibus preficiuntur sess. 22. cap. 2. examinant, sess. 23. cap. 18. Penitentiarie sess. 14. cap. 8. & multis alijs officijs.

Queres 99. An clericatus prius fuerit in clerico Seculari, quam Regulari?

338 ℞. Clericatus primo fuit in clericis vt Religiosis, probatur, Tum quia inter clericos primo fuerunt Apostoli, quos Christus ordinauit, vt notum est de fide ex Sacris Literis; sed Apostoli erant Clerici Regulares, & non Seculares, quia vouerunt ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 4. ad tertium, cum eo Nauar. tom. 2. comment. 4. de Regular. num. 30. §. Secundo, ergo clericatus primo fuit in Religiosis. Tum quia nomen clerici magis conuenit Religiosis, quam Clericis, vt docet Panorm. in cap. Licet, de off.

ordin.

ordin. illis verbis: *Nota glosam, quare clerici, qui non sunt alicuius religionis, dicuntur clerici seculares, participant enim Religiosis, & in hoc appellantur clerici; item participant laicis, & hoc respectu vocantur seculares.* Penottus lib. 2. Histor. Canon. Regul. cap. 1. n. 2. seculares ergo ecclesiastici nomen clerici desumunt à Religiosis, ergo prius fuit in his, quam in illis. Tum quia in primitiua Ecclesia clerici nihil proprij habebant. Panorm. in cap. Postulasti, de rescr. sed in communi viuebant, cap. 2. 12. q. 1. cap. 5. & 6. eod. vouebant cap. Scimus 9. eod. vnde Penottus cit. cap. 5. num. 8. §. 13. dicit, quod omnes fere clerici ab initio erant Regulares. Tum quia Religiosi succeſſerunt loco Apostolorum, gl. v. Apostolorum cap. Videntes 16. 2. q. 1. ergo & in clericatu, & officio prædicationis. Tum quia neceſſarium erat, vt clericatus ordo tam magnæ dignitatis primo aſſumeretur à personis perfectioribus; sed clerici religiosi perfectiores sunt clericis secularibus, glos. v. Bonum, cap. Legi 36. 16. q. 1. illi autem sunt perfectiores, quia proprijs renuntiauerunt, iuxta illud Euangelij; *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Isti vero non ita perfecti sunt, ideo vocantur seculares, quia ad modum laicorum, qui vere seculares dicuntur, proprium habent, & inde facere poſſunt pro sua voluntate, gl. v. seculares, cap. Licet 12. de off. ordin Tum quia ratio clericatus videtur dependere à statu religioso, secundum D. August. relatum cap. Nolo 10. 12. q. 1. ibi: *Qui habuerit proprium, vel habere voluerit, & de proprio viuere, & contra præcepta ista facere, parum est, vt dicam, non mecum manebit, sed nec clericus erit: Dixeram enim, & scio me dixiſſe, vt si nollent suscipere etiam socialem vitam mecum; illis non tollerem clericatum.* Initio igitur primitiuæ ecclesiæ clericatus maxime resplendebat in Religiosis, ita quod reputabantur indigni clericatu, qui nolebant viuere sine proprio in communitate.

Sed quæres cuius ordinis erant illi Religiosi in primitiua Ecclesia? non Mendicantium, quia multo tempore post venerunt, nempe circa annum 1200. Neque Monachorum, quia isti erant laici ex sua institutione, vt dicam infra q. seq. Remanet ergo, quod eſſent Canonici Regulares, vt manifeste colligitur ex Bulla Eugenij IV. relata à Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. prope initium, his verbis: *Huius profecto sacri ordinis, & S. Instituti post Apostolos primum in*

Alexandrinæ Ecclesia Marcus Petri discipulus institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis Regulis, & doctrina decorauit. Iste ordo inter omnes antiquissimus est, & omnium primus, vt dicetur infra.

Quæres 100. An clerici seculares sint digniores clericis Religiosis? Sub Religiosorum nomine veniunt Canonici, Monachi, & Mendicantes in proposita quæstione.

339 Pro Clericis sunt sequentes rationes. *Prima*, quia clericatus non est de essentia Religionis, hæc enim requirit tantum professionem solemnem, quæ fit etiam à non clericis, & professione quis non ponitur in statu clericali, licet constituatur in statu ecclesiastico, accidit ergo clericatus religioso, quis vero non potest esse clericus sine ordine, cum clericus quis constituatur per receptionem ordinis, ex quo fit, clericum esse digniorem dignitate ordinis, est enim ordo dignitas cap. fin. dist. 4. & ordo nobilitat, Abbas, & Ioan. Andr. in cap. Eo libentius, de seru. non ordin. Tiraq. de Nobilit. cap. 9. Genuens. cap. 91. Religiosus, quatenus talis adnexum non habet ordinem clericalem, ergo illo dignior est clericus. *Secunda*, Ille dignior est, qui habet ordinem ex institutione, & essentialiter, nam quod naturaliter, & per se inest præponitur vt dignus ei, quod est per accidens tale, l. Qui habet, ff. de tutel. essentia enim, & proprietas præfertur accidenti; sed clericatus inest essentialiter, & per se clerico, qui per ordinem constituitur talis, non vero sic inest Religioso, qui sine ordine talis esse potest, vnde cum illi accidat ordo, in hoc postponendus est clerico. *Tertia* Clerici successerunt Apostolis, Religiosi vero sunt Coadiutores clericorum, Nauar. consil. 7. de priuileg. num. 14. ergo sunt minus digni Clericis. *Quarta* Religio tendit ad bonum priuatum religiosi, clericatus vero respicit bonum publicum, & salutem animarum, non enim quis efficitur Clericus pro se tantum, vt fit Religiosus, sed etiam pro salute aliorum; publicum autem tamquam dignius præfertur priuato bono, cap. 3. de postul. prælator. cap. Licet, de Regul. *Quinta*, Religio non est honor, nec dignitas, ex Feder. consil. 5. num. 5. apud Nauar. consil. 1. de statu monach. vtique Clericatus, vt patet ex prima ratione. *Sexta*, In cap. 5. dist. 97. omnes monachi, immo & Abbas postponuntur etiam Hostiario clerico, quia vt inquit ibi glosa v. Ab-

bas

bas, eo tempore monachi erant religiosi laici ex sua institutione, late probat Penottus in Histor. sui ordinis, & ante ipsum multi Doctores in causa præcedentiæ inter ipsos, & Canonicos Regulares asserentes clericatum concessum fuisse monachis ex priuilegio, qui illis ex se non competebat. Vide Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1. Quibus non obstantibus.

340 ℞. Clerici sunt digniores monachis attento monachatu ex primæua sui institutione, & id probant adductæ rationes, nam monachatus institutus fuit sine eleuatione personarum à statu laicali ad statum clericalem, sed tunc professione non obstante remanebant laici prout ista vox condistinguitur à Clericis.

Si vero spectemus Monachismum, & statum regularem apud Canonicos, Monachos, & Mendicantes institutos simul cum clericatu, vel in quantum postea habent adnexum clericatum, sunt Religiosi quicumq; digniores clericis secularibus. Probatur, Tum quia primo ordo clericalis communicatus fuit clericis Regularibus, ex probatis præced. quæst. Tum ex comparatione status vtriusq; nam status Religiosorum est perfectior statu Clericorum, & Parochorum etiam, quia modo nobiliori, & perfectiori inseruiũt Deo, & fidelibus, atq; præterea seipsos, & bona sua Deo dicant, quod non faciunt clerici, D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 8.

341 Tum à transitu, nam Religiosus non transit ad statum clericorum, sicut is ad statum regularem, cap. Clerus 19. q. 1. cap. Duo 19. q. 2. transitus autem regulatus fit à minori dignitate ad maiorem, cap. fin. de translat. prælator. cap. Legimus 23. dist. 93. l. Vt gradatim ff. de muner. & oner. Tum à qualitate status, nam status regularis strictius, arduus, & magni momenti, clerici vero laxior, facilis, & non maioris momenti, nec melioris conditionis, gl. v. Monachi, cap. Cum ad nostram 37. de elect. vnde & perfectiores sunt clericis, gl. Bonum, cap. Legi 36. 16. q. 1. & hoc nomen *Religiosum* significat personam bonæ famæ, gl. v. eod. cap. 5. de purgat. Canon. & dicitur vir perfectus, cap. Et si Christus 26. de iure-

342 iur. Tum à labore, & actibus virtutis, nam illi sunt præ cæteris digniores, qui nobiliores actus exercent, Bursat. consil. 343. num. 11. lib. 4. Capic. decis. 27. num. 23. M. Anton. lib. 1. Resolut. 81. n. 2. & 4. constat autem apud omnes, Religiosos actus heroicos longe perfectiores, & laudabiliores efficere scribendo ad hono-

rem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, libros componendo, confutando hæreses, tuendo fidem catolicam, conuertendo infideles, administrando sacramenta fidelibus cum maiori diligentia, & frequentia, atq; similia præstando opera, laude, & præmio digna; clerici vero, qui in prædictis se occupant, rari sunt; Vnde rationabiliter dicuntur tenere figuram Apostolorum, cap. Ex auctoritate 24. 16.q.1.& dicuntur succedere in locum Apostolorum, gl. v. Apostolorum, cap. Videntes 16.2.q.1. Tum ex maioribus priuilegijs, quibus carent Clerici; & si quæ habent, illis etiam gaudent Religiosi, qui sub nomine Clericorum veniunt in fauorabilibus, arg. cap. Statutum, de elect. in 6. cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6. Silu. v. Clericus, Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 33. & 46. Peyrin. in suo Formul. lit. P. cap. 16. num. 4.

343 Obiectis satisfit, ad primam, hac nostra tempestate tam Religiosos quam Clericos per se esse capaces ordinis sacramentalis, nam antequam laicus fiat clericus minus est idoneus, quam religiosus, immo iste longe melior, & aptior est ad clericatum, quia est in statu perfecto. Deinde Religio illegitimum facit aptum ad ordines minores, ergo maxime amplectitur ordines. Præterea sicut ordo constituit laicum in statum clericalem, ita & ad eumdem eleuat Religiosum, qui magis capax sacræ ordinationis ratione perfecti status, quam laicus inferioris cōditionis sine comparatione. Ad secundam rationem respondeo, laicum non magis fieri clericū per receptionem ordinis, quā professum, cum æque sacra ordinatio vtrumq; eleuet ad statum clericatus, & si quid probat, concludit contra Monachos illos antiquos, qui sine ordinibus viuebant Deo. Ad tertiam, non solum Clerici, sed etiam Religiosi successerunt Apostolis, quorum locum tenent, ex allegatis supra, quib. adde Glos. v. tenent, cap. 4. de consecrat. dist. 5.

344 Ad quartam, patet supra Religiosos tendere ad publicam vtilitatem. Ad quintam respondi Resolut. 54. n. 31. Religionē esse statū honorificum, & nobilissimum. Vide ibi. Feder. autem, aut errat, aut intelligēdus est de illo monachatu antiquo, in quo Clericatus nō erat in vsu, in quo sēsu potest dici, quod Monachatus nō est status honorificus, ex eo, quod caret sacris ordin. qui monachū cōstituūt in statu honorifico. Ad sextam, in locis prælibatis sermonē esse de antiquissimis monach. qui laici erant, nec ascendebant ad ordines.

Quæres

Quæres 101. An ius præcedendi inter Religiones desumatur ab earum institutione, vel ab Approbatione facta à Sede Apostolica?

345 ℞. Desumitur ab Approbatione, & Confirmatione facta per Sedem Apostolicam, non autem ab institutione fundatoris, quia nullum Collegium, nulla Congregatio, neq; Religio subsistere potest, sicut nec noua dignitas institui potest sine licentia, & approbatione Principis, cap. 1. dist. 12. cap. Cum olim 6. de consuet. cap. fin. de Relig. dom. l. 3. ff. de Colleg. illic. ergo ab institutione fundatoris desumi non potest ius præcedendi, cum non subsistat nisi per Apostolicam confirmationem. Confirmatur id à simili de legibus, quæ sicut nondum sunt, nec aliquam vim habent, cum primo componuntur, sed suam vim incipiunt habere obligandi, cum promulgantur, cap. In istis, §. Leges, dist. 4. ita Religiones à fundatoribus inceptæ nullam vim habent, & subsistentiam, quam acquirunt per Apostolicam Approbationem, & Confirmationem. Ita docent omnes Canonistæ in cap. fin. de Relig. domib. in Clem. 1. eod. Specul. de statu Regul. vers. 37. Gemin. in cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. Abbas in cap. Nimis 17. de excess. prælator. Ioan. Andr. in cap. Quia ex eo, de pactis in 6. Alij citati in decis. 112. n. 2. apud Tambur. Vide quæ dico Resol. 86. de Confirmatione Religionum. Attenditur ergo tempus approbationis, ita quod illa preferтur alijs, quæ prius confirmata fuit à Sede Apostolica, quod fundatur in ea regula iuris. Qui prior est tempore potior est iure. Contelor. de præced. num. 2. alios citans.

Procedit hoc licet Regula aliquantulum sit mutata, dummodo mutatio in substantialibus facta non sit. Rota coram Litta, Oriol. preced. Decis. 26. apud Farinac. vol. 2. vbi deciditur pro Carmelitis contra Fratres de Mercede in Ciuitate Oriolensi.

Quæres 102. De institutione, & approbatione Canonicorum Regu-
346 larium militantium sub Regula S. Augustini? Vide Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 4. vbi enumerat triginta quatuor classes, seu Congregationes Canonicorum Regularium, serie infrascripta.

Canonicorum Regularium Lateranensium Congregatio originem traxit ab Apostolis, teste Eugen. IV. Bulla incip. illis verbis: *Huius profecto Sacri Ordinis, & sancti instituti post Apostolos primum*

in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis Regulis, & doctrina decorauit. apud Tamb. superius citatum. Regulam accepit à B. Augustino, seu potius reformationem anno 397. Sequitur omnium religionum esse primam.

Frigidiani Sancti eorumdem Canon. Later. incæpit anno 556. ab Auctore suo nomine Frigidiano Episcopo Lucensi.

Iacobi S. de Spatha incæpit anno 830. à Ramiro Rege Legionensi confirmatus, seu priuilegiatus ab Alexandro III. electo anno 1159.

Rufi Sancti incæpit anno circa 1000. confirmatus à Paschali II. anno Domini 1115.

Portuensium incępit circa annum 1115. aut 1117. à Petro clerico Rauenat. ex familia de Honestis confirmatus à Paschali II. anno eodem 1117.

Artasiensis ordo cępit anno 1097. auctoribus Canone, & Neldemaro.

Mortariensis anno 1083. ab Adamo clerico Mortariensi confirmatus à Gregorio VII. sequenti anno, aut ad plus 1085. quo obijt.

Marbacensis ab oppido Marbac in Arsatia incępit circa annum 1090. aut 1094. à quodam Manegeldo viro pio, de quo Honor. II. in sua Bulla Confirmationis.

Quintini Sancti ordo Beluacensis anno 1078. à S. Iuone S. Quintini Pręposito, & post Episcopo Carnotensi.

Laurentij S. de Plebe martirum, siue de Vltio in Delphinatu ordo cępit anno 1050. à Sacerdote Gerardo de oppido Vltij, priuilegiatus ab Alexandro II. anno 1072.

Victoris Sancti Parisiensis dictus Victorina Congregatio cępit anno 1113.

Sepulcri Sancti Hierosolimitanus ordo confirmatus fuit à Celestino II. anno 1144. extinctus, cuius bona commendata fuerunt Maltensibus.

S. Mariæ ad Renum incępit 1136. ab Innocentio II. confirmatus, extinctus postea anno 1430.

Iacobi S. de Cella Volana cępit anno 1000. in diœcesi Comadensi.

S. Crucis Corymbricensis cępit 1131. auctore Tello Archidiacono eiusdem Ecclesię ab Innocentio II. confirmatus anno 1135.

S. Mariæ

S. Mariȩ de Crefcentiaco anno 1140. prope Mediolanum.
Vallij Viridis ante annum 1200.
Antonij S. de Vienna circa annum 1297.
Premonftratenfium primum fub Regula S. Benedicti à S. Norberto inftitutus, deinde fub Regula S. Auguftini anno 1120. confirmatus ab Honorio II. anno 1126. ab Innocentio II. anno 1199.
Scholarium à quibusdam Scholaribus Bononiæ Studentibus ibidem inftitutus ante annum 1200.
Cruciferorum ordo circa annum 1248. in Belgio ad Mofam fluuium in oppido Huyo diȩcefis Leodienfis confirmatus ab Innocentio IV. electo anno 1243.
Vuidefimenfium cæpit in Germania inferiori anno 1387. à Gerardo Groot in Dauentria.
Nuffienfium apud Nuffiam in diæcefi Colonienfi anno 1170. vnitus ordini præcedenti anno 1430.
Demetrij Sancti, feu S. Mariæ de Metri anno 1200. collapfus per Paulum V. reftitutus fuit.
S. Spiritus Venetiarum cȩpit 1424. inftitutus à quatuor viris Venetis.
Frigionarius anno 1406. inftitutus à D. Bartolomeo Columna.
Petri Sancti de Monte Corbulo cȩpit circa tempora Iulij II. electi anno 1503. ab eodem confirmatus, in agro Florentino inftitutus à quodam Petro Regienfi, aut Mediolanenfi.
Caftrinantionis cæpit eodem fere tempore, quo præcedens.
S. Saluatoris cæpit Bononiæ anno 1408. auctore Stephano Ciono Senenfi prius ordinis Eremitarum, à Gregorio XII. confirmatus eodem anno. Vide Ioannem Baptiftam Signium huius ordinis in fuo libro De ordine, ac ftatu Canonico lib. 3.
Olmutienfis in Morauia in Ecclefia omnium Sanctorum cȩpit temporibus Alexandri IV. electi anno 1492. qui obijt anno 1503.
Georgij S. de Alga Venetiarum cæpit anno 1404. fub nomine Canonicorum fecularium, modo profeffione Regularium, approbatus à Gregorio XIII. anno 1406. 27. Iunij.
Marci S. apud Mantuam cȩpit anno 1198. ab Alberto Spinula approbatus ab Innocentio III. electo 1198. qui obijt 1216.
Cruciferorum ordo fertur inftitutus à B. Clemente, approbatus ab Vrbano III. 1187. & ante ab Alexandro III. electo 1159.

S. Spiritus in Saxia ab Innocentio III. anno 1204. Hospitale est Romæ S. Spiritus, Contel. de præcedent. dicit num. 8. non constare de existentia huius ordinis.

Quæres 103. De origine, & institutione Monachorum sub Regula S. Benedicti, sub qua militant 44. ordines?

347 ℞. S. Benedictus natus anno 480. initium ordini suo dedit anno 520. in specu Sublaci, mox anno 528. in monte Casino illum ampliauit, ibidem sepultus anno 542. vel 543. anno ætatis suæ 62. aut 63.

Sicula Congregatio à S. Placido instituta anno 536. confirmata à Vitaliano Papa.

Gallica à S. Mauro anno 541.

Benchorensis à S. Comogello Abbate 570.

Augustini S. Cantuariensis sub anno 596.

Valcharensis, seu Sibirtina anno 620.

Licinensis in Gallia anno 470.

Floriacensis à Flora sub anno 651.

Ingiruiensis, seu Giribena circa annum 700.

Fuldensis à S. Bonifacio Anglo Monacho Archiepiscopo Moguntino erecta anno 750.

Dunstanensis à viro Dunstano anno 900.

Cluniacensis opera Gulielmi Pij Ducis Aquitaniæ 910.

Camaldulensis à S. Romualdo sub anno 1000. approbata ab Alexandro II. anno 1073.

Montis Coryli à fonte Corylo in monte Appenino prope Ciuitatem Calliensem à S. Landulpho anno 1008.

Hirsfeldensis in Germania 1030.

Vallisumbrosæ à Ioanne Gualberto Sancto anno 1012.

Cauensis anno 1050. à S. Alferio.

Viuariensis anno 1064.

Lanfranchi anno 1077. à Lanfrancho erecta in Anglia.

Arialda à S. Rialdo martire cum socijs Mediolani 1080.

Hirsaugiensis à S. Gulielmo Abbate S. Aurelij anno 1080.

Grandimontensis anno eodem à Stefano Albanensi.

Cistertiensis in diæcesi Cabilonensi anno 1098. à S. Roberto Abbate confirmata ab Eugenio III. anno 1152.

Fontanēsis Eremitarum anno 1120. à B. Ricardo Monacho Cistert.

Fontis

Fontis Ebraldi in diæcesi Pictauiensi à S. Roberto Blesio an. 1121.
Millicentis in Germania à D. Sigibeldo Abbate anno 1122.
Sauigniacensis anno 1121.
Montis Virginis à S. Gulielmo Vercellensi Benedictino 1121.
Gilbertana à S. Gilberto in Anglia anno 1148. sub Eugenio III. approbata, sed modo extincta.
Florensis à B. Ioachimo in Calabria anno 1196.
Humiliatorum à nobilibus Mediolanẽsib. an. 1196. modo extincta.
Pauli Sancti primæ Eremitæ ab Eusebio Stringoniensi anno 1215.
Siluestrina à S. Siluestro Gozzolino Auximanensi anno 1231. confirmata ab Innocentio IV. anno 1258.
Vallis Vmbrosellæ à S. Ludouico Rege instituta Parisijs.
Vallis Caulium prope Diuionem Galliæ Vrbem anno 1240.
Nicolai Sancti de Arenis apud Catanam anno 1300.
Celestina à S. Petro de Morono Papa Celestino anno 1274. ab eod. approbata anno 1294. & à Benedicto XI. anno 1304.
Oliuetana non longe à Senis anno 1319. à tribus nobilibus Senensib. approbata à Ioanne XXII. anno 1324.
Cisterciensis in regnis Castellæ anno 1425.
Genuensis S. Hieronimi de Siluaria anno 1425.
Bernardi Sancti Cistertiensis anno 1494. in Italia instante Ludouico Maria Sfortia Duce Mediolani.
Iustinæ S. de Padua reformata à Ludouico Balbo Veneto, confirmata à Iulio II. anno 1503.
Camaldulensium Eremitarum approbata iam ex origine eiusdem confirmata fuit à Paulo III. anno 1534.
Fulliensis B.M.V. anno 1583.

Quæres 104. De origine, & institutione ordinum S. Francisci, & Dominici, à quibus initium sumpsit ordo Mendicantium.

348 ℞. Ordo S. Dominici sub nomine Prædicatorum institutus fuit anno 1205. ab Honorio III. confirmatus an. 1216. Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 4. num. 59. Ioan. Andr. in cap. Quorumdam, de elect. in 6. num. 3. Morigia cap. 27. D. Anton. part. 3. Histor. tit. 23.

S. Frãciscus tres instituit ordines, quorum primus vocatur de prima Regula; sub 2. continentur Moniales S. Claræ; sub tertio Tertiarij.
Primum ordinem instituit die 18. Octobris 1208. confirmatum sequenti anno ore tenus ab Innocentio, per Bullam vero incip.

Solet

Solet annuere sub datum 29. Nouembris anno 1224. Sub hoc primo ordine continentur Conuentuales nuncupati, qui contra rigorosum paupertatis votum obtinuerunt priuilegia ab Innocentio IV. aquirendi stabilia in communi. Fuit reformatio istorum immediata sub Sixto V. per Bullam incip. *Apostolici muneris*. Dat. 1578 idibus Octobris, modo extincta.

Minores de Obseruantia prodierunt à F. Cesario anno 1244. à F. Gentili de Spoleto, & Paulo de Trinis 1388. adhuc sub strictiori obseruantia ab anno 1398. opera F. Ioannis à Strinconio, & F. Thomæ Florentini Zoccolantes appellati, qui omnes sub eodem Generali remanserunt vsq; ad Leonem X. suborta postmodum fuit alia obseruantia strictior approbata à Clemente VII. Bulla incip. *In suprema* 1532. Demum apparuerunt Capuccini circa annum 1525. opera F. Matthæi Bassij de Obseruantia, approbati à Clemente VII. Bulla incip. *Religionis zelus*. 1528. mense Iulio, qui totum orbem bono odore, & exemplo illustrarunt.

Sub secunda Regula instituta à S. Patre anno 1212. confirmata ab Innocentio IV. anno 1253. Bulla incip. *Solet annuere*. continentur Moniales.

Sub tertia Regula continentur Tertiarij vtriusq; sexus, cui S. Pater initium dedit anno 1221. approbata à Nicolao IV. per suam Bullam incip. *Supra montem*; Datum 17. Augusti 1289. iste ordo communis etiam secularibus, & laicis, eleuatus fuit in Religionem circa annum 1300. paulo ante, vt multis probaui Resol. 87. & in libello de Antiquitate Religionis Tertij ordinis S. Francisci.

Quæres 105. De origine, & institutione Fratrum, qui vocantur Eremitani sub Regula S. Augustini? Et sunt 18. ordines.

349 Eremitarum S. Augustini erat institutus ante Concilium Lateranense celebratum 1215. sub Innoc. III. vt expresse dicitur in constitutione Concilij Generalis Lugdun. sub Gregorio X. relata in cap. Vn. de relig. domib. in 6. qui varie reformatus fuit, vt in sequentib.

Gulielmistæ à S. Gulielmo Duce Aquitaniæ anno 1156.

Ioannis Bon: Mantuani Congregationem fuisse ampliatam ait Vadingus, qui in Apologetico Defens. sect. V. §. V. ante num. 11. reprobando Monachatum Augustianum à S. Francisco, tradit B. Ioannem Bonum esse natum Mantuæ anno Christi 1168. con-

uersum

uersum à vita liberiore anno ætatis suæ 40. & Christi 1208. in Eremum cessisse anno 1209. accepisse cum suis Regulam D. Aug. circa annum 1233. obijsse tandem anno 1249.

Hieronymi Sancti in Hispania reformatus anno 1370. à D. Petro Fernandez approbatus à Gregorio XI. anno 1375.

Petri B. de Pisis anno 1380.

Illicetanus ordo à Mag. Bartolomeo Veneto anno 1387.

Carbonarius de obseruantia in terra Laboris à F. Simone Cremonensi 1399.

Peruginus ordo de obseruantia in Prouincia Vmbriæ anno 1424.

Lumbardorum ordo de obseruantia ab anno 1444. à F. Rocho Papiensi, & Gregorio Cremonensi in vrbe Crema.

S. Mariæ Montis Hortonæ à F. Simone de Camerino 1460.

Baptistellorum de obseruantia à F. Baptista 1484. dicitur etiam Genuensis.

Dulcinus à F. Felice Appulo circa annum 1492.

Calabrensis ordo de Obseruantia à F. Francisco Zampana Calabrensi anno 1502.

Dalmatus ordo de Obseruantia eodem tempore.

Germanius ab Andrea de Proles anno 1514.

S. Pauli Eremitæ anno 1550.

Discalceati Fratres Eremitani instituti Romæ anno 1599.

Quæres 106. De origine, & institutione Regularium Clericorum, qui scilicet induunt habitum similem Clericis Secularibus sine Caputio?

350 Primus ordo istorum vocatur Clericorum Hispitaliariorum anno 1300. institutus ab Augustino Nouello confessario Bonifacij VIII. qui illum confirmauit, electus autem fuit Papa 1294.

Clericorum vitæ communis, à quodam Gerardo 1376.

Theatinorum, qui simpliciter vocantur Clerici Regulares anno 1524. à Petro Carafa Episcopo Theatino, confirmatus à Clem. VII. die 24. Iunij 1524.

Barnabitarum, seu S. Pauli Decollati ordo circa annm 1526. institutus Mediolani, vbi morantur in Ecclesijs S. Barnabæ, caput ibi ordinis, confirmatus à Clemente VII. die 18. Februarij 1533.

Boni Iesu ordo incæpit Rauennæ anno 1526.

Somaschinorum S. Maioli cæpit eodem anno 1526. per Hierony-

mum

mum Emilium Venetum, confirmatus à Paulo III. anno 1540. die 5. Iunij.

Iesuitarum, qui dicuntur Societatis Iesu, ordo institutus à S. Ignatio Loyola anno 1534. confirmatus à Paulo III. anno 1540. die 25. Februarij.

Oratorij Clerici s. Filippi Nerij anno 1550. confirmatus à Gregorio XIII. anno 1575. sunt Clerici seculares.

Matris Dei Lucæ in Tuscia ordo cæpit anno 1574. à Ioanne Leonardio à terra Diecimo diæcesis Lucensis, confirmatus à Clem. VIII. die 13. Octobris 1595.

Oblatorum s. Ambrosij Mediolani à s. Carolo anno 1580. sunt Clerici seculares Ministrantium infirmis cæpit 1581. exhortatione s. Filippi Nerij, confirmatus à Sixto V. die 18. Martij 1586.

Minorum Clericorum cæptus ante annum 1588. per Augustinum Adornum Genuensem à Sixto V. confirmatus die prima Iulij 1588.

Scholarum piarum Clerici pauperes Matris Dei ordo erectus fuit per Iosephum Calasantium ex Regno Aragoniæ confirmatus à Paulo V. anno 1614. & prius etiam à Clemente VIII.

Quæræs 107. De origine, & institutione aliorum ordinum?

351 ℞. per sequentia.

Cartusiensium ordo à s. Bruno constitutus circa annum 1084. confirmatus ab Alexandro III. anno 1176.

Carmelitarum ordo incæpit 1160. carebat Regula, ideo confirmationem non obtinuit nisi sub Honorio III. quando Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolimitano approbauit anno 1226. die 30. Ianuarij. Ita docent Mirand. tom. 1. q. 4. art. 7. Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 7. num. 4. qui ambo asserunt Honorium prædictum confirmasse illorum ordinem, sed differunt in tempore, nam Miranda affirmat Bullam datam fuisse Calendis Ianuarij anno primo sui Papatus, Christi 1216. ille vero 1226. 30. mensis Ianuarij. Vide iterum infra sub q. 129.

Eorum reformari incæperunt esse ab anno 1565. à s. Teresia, confirmatus à Gregorio XIII. anno 1580. die 22. Iunij.

Armenorum sub Regula s. Augustini, postea Genuæ sub statutis s. Dominici, induunt habitum more conuersorum eiusdem Sancti Dominici, vocantur etiam s. Basilij, cuius Regulam alias secuti

fuerant,

fuerant, Mediolani habitant in Ecclesia S. Cosmi prope portam Orientalem, sub Clemente V. fundarunt conuentum Genuensem.

S. Trinitas Redemptionis Captiuorum circa annum 1198. in Gallijs, confirmatus ab Innocentio III. anno 1209.

B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum cæpit anno 1218. Barcinonæ in Regno Aragoniæ confirmatus à Gregorio IX. anno 1230.

Seruorum B.V.M. à septem nobilibus viris Florentinis cęptus anno 1206. confirmatus à Benedicto XI. anno 1304. die 11. Februarij, ex tenore tamen Bullæ constat antea confirmatus. Reformatus fuit à B. Filippo anno 1285.

Iesuatorum S. Hieronymi ordo institutus à B. Ioanne Columbino Senensi anno 1354. confirmatus à Martino V. anno 1428.

Fesulani S. Hieronymi cæpit primo sub Regula S. Augustini circa annum 1406. à Carolo Romensi Comite Montis Granelli, cum Redone Granello, & Gualterio Marsio, confirmatus ab Innocentio VII. mortuo anno 1406. per Bullam postmodum expeditam à Gregorio XII. anno 1416.

Minimorum ordo S. Francisci de Paula institutoris circa annum 1436. approbatus fuit à Sixto IV. Bulla incip. *Sedes Apostolica* die 27. Maij 1474. Vide melius infra q. 132.

Quæres 108. Quænam sint Religiones Mendicantium, & non Mendicantium, & quem ordinem præcedentiæ seruent inter se?

352 ℞. Ordines Mendicantium principales sunt quatuor enumerati in iure communi hoc ordine Præcedentiæ Ordo Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, vt videre est cap. vn. de relig. domib. in 6. §. Sane, passim nominantur Prædicatores, & Minores hoc ordine, vt videre est, cap. Nimis 17. de excessib. prælat. cap. In ijs 30. de priuileg. cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. vbi tertio loco exprimuntur Eremitani, cap. 1. de excessib. prelator. in 6. cap. Quia ex eo, 3. de pactis in 6. Clem. Dudũ 2. de sepult. extrau. cõm. Inter cunctas 1. de priuil. & alibi. Ista autem enumeratio cum vbiq; stet inuariabiliter, & immutabiliter validum firmat argumentum præcedentiæ in illis ordinibus contra alios Mendicantes, ad quod facit

doctrina

doctrina allata sub q. 36. & docet gl. v. Prædicatorum cit. cap. Quorumdam,& v. Prædicatores cap. Quia ex eo, cit. Sub nomine Minorum veniunt non solum militantes sub prima Regula S. Francisci, vt Conuentuales, Minores de obseruantia, eorum Reformati, & Capucini, Verum etiam Tertiarij S. Francisci Regulares, vt probo Resolut. 87. q. 18. Si attendatur ratio analogiæ ab eodem principio, sed infra latius, & clarius negotium patebit.

Prædictis quatuor ordinibus nuncupatis Mendicantibus, & vt talibus confirmatis à Piu V. Bulla incip. *Romanus Pontifex*, apud Bullar. Rodriq. fol. 408. ex priuilegio alij additi fuerunt, nimirum Seruitæ, ex eadem Bulla; deinde Minimi S. Francisci de Paula, Bulla 20. eiusdem Pij V. apud Rodriq. fol. 409. incip. *Apostolicæ Sedis*. postea Iesuati S. Hieronymi, Bulla eiusdem incip. *Romanus Pontifex* 21. fol. 410. Connumerantur Iesuitæ à Rodriq. tom. 3. q. 49. art. 2. cum suo Compend. resol. 94. num. 7. Confirmatur id, quia antequam emittant solemnem professionem mendicitatem exercent. Vide Barbosa de Appellat. Appell. 147. vsq; ad num. 10. de Iesuitis adest Bulla Pij V. incip. *Dum indefessæ* 1571. pro Discalceatis Carmel. Bulla Clem. VIII. incip. *Romanum Pontificem*.

Non Mendicantes dicuntur reliqui ordines, cuiusmodi sunt Canonici Regulares, de quibus diximus sub q. 102. & Monachi sub Regula S. Benedicti, de quibus diximus q. 103. 106. & 107. ex parte. Vide citatum Barbosam.

Canonici igitur Regulares, & Monachi preferuntur Mendicantibus non simpliciter, neq; in omnibus, sed prout infra patebit in suis quæstionibus, attenta approbatione ordinum inter se concurrentium in præcedentia; vnde certum est Canonicos Lateranenses præferendos esse Monachis, & Mendicantibus, quia originem habuerunt ab Apostolis supra q. 102. Monachi vero à S. Benedicto ab anno 520. supra q. 103. & ideo præcedere Mendicantes, qui sub Sanctis Dominico, & Francisco incæperunt paulo post annum 1200. supra q. 104.

Quæres 109. De præcedentia inter Canonicos Lateranenses, & Monachos S. Benedicti nuncupatos Cassinenses? De qua late Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1.

353 ℞. Afferendo verba sententię prolatæ à Iudicibus, & confirmatæ

tæ à Pio IV. Bulla incip. *Sedis Apostolicæ*, apud præfatum Tambur. à num. 293. quæ sunt sequentia: *Declaramus, Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateran. vti clericos, dimissa superiori veste, pallio, seu cappa, in linea veste, clericalique habitu incedentes, quod etiam in alma Vrbe consuetum fuerat, & tunc obseruabatur in processionibus, & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis, tam in dicta Vrbe, nostroq; & aliorum Romanorum Pontificum successorum nostrorum conspectu, quam alias, in Vniuersi, & quibuscumq; alijs Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & Locis, Abbates, Prælatos, & Monachos S. Benedicti Congregationis Casinensis prædictos præcedere debuisse, & debere; ac eosdem Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares; dictamq; eorum Congregationem, vt præfertur incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum Congregationi in omnibus, & singulis præmissis præferendos, anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & esse.* Ratio, quæ mouit illos Iudices, & Papam ad sententiandum fauore Canonicorum contra Monachos, concessit in duplici prioritate, Institutionis nimirum, & Clericatus, nam quo ad Institutionem ordo Canonicorum habuit initium ab Apostolis, prout retuli sub q. 102. & tangitur in supradicta Bulla Pij IV. consequenter simul institutus fuit, & approbatus, Apostoli enim erant Episcopi, quibus competebat tunc approbatio Ordinum, & Religionum, iure enim antiquiore Episcopi Religiones approbabant, vt docui Resol. 86. q. 1. num. 145. quod durauit vsq; ad Concilium Lateranense. Ratione clericatus Canonici præferendi erant Monachis, quia Clericatus coæuus fuit Canonicis, non Monachis institutis sine clericatu, vnde tunc temporis dicebantur laici. i. non clerici, ex cap. Placuit 42. 16. q. 1. §. Hoc idem, cum eorum Abbate, qui ordine carens subijciebatur Hostiario, cap. A Subdiacono 5. dist. 93. processu postea temporis ex priuilegio assumpti fuerunt ad clericatum, vide Tambur, tom. 1. disp. 25. q. 1. à num. 70. cum multis sequent. ex quibus infertur præcedentia Canonicorum super Monachos, quia ex vulgatis iuribus: Qui prior est tempore, potior est iure. Ex quibus deducitur, eisdem Lateran. deberi præcedentiam super Casinenses licet incederent sine cotta, quia non habitus, sed institutio dat præcedentiam, Bursatus consil. 343. num. 60.

Quæres

Queres 110. An Abbates Lateranenſes non ſolum in proceſſionibus, ſed etiam alibi præferantur Abbatibus Caſſinenſibus.

354 ℞. Ex ſupradicta Bulla ſequentibus verbis: *Abbates vero dictarum Congregationum ſingulariter, & de per ſe abſq; eorum conuentibus in Concilijs Generalibus, Prouincialibus, & Synodalibus, ac alijs actibus publicis, & priuatis, in quibus Abbates de iure, vel conſuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter ſe, iuxta ſingulorum ipſorum Abbatum, ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordine, cuius ſunt, attentis, pracedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuiſſe, ac debere, prout ex tunc prætulimus.* Differunt ergo Abbates vtriuſq; Ordinis à Canonicis, & Monachis ratione ſingularitatis, in quibus non attenditur antiquitas Religionis, ſed promotionis ad Abbatiatum.

Sed nonnullæ difficultates proponendæ ſunt, & reſoluendæ. Prima eſt, An Abbates Lateranenſes modo ſtare teneantur huic ſententiæ ex q. 110.? Ratio dubitandi eſt, quia ex quo de perpetuis facti ſunt temporales ſolum per triennium, raro obtinebunt digniorem locum ſupra Abbates Caſſinenſes propter eorum perpetuitatem. Et augetur dubitatio, tum quia perpetuitas potiorem importat rationem, quam temporaneitas in officio. Tum quia perfectius eſt eſſe tale perpetuo, quam ad tempus illud enim eſt eſſe ſimpliciter, hoc vero ſecundum quid, quę ſe habent vt magis perfectum ad minus perfectum. Tum quia ex prioritate temporis oritur prærogatiua dignitatis, l. Honores, ff. de decur. l. fin. C. de Tyron. lib. 12. ergo quo tempus eſt diuturnius eo perfectiorem arguit poſſeſſionem promotionis.

Occurritur dicendo reſpectu Abbatis Lateran. adhuc attendendam eſſe promotionem eius, primam tamen, ex quo per eam incæpit habere ius ad præcedendum cum Abbate Caſſinenſi, quod quodam modo conſeruare dicitur in habitu, ita quod illud ius ex potentia in actum reduxit, quando deinceps reſumitur ad Abbatiatum. Et id deducitur ex l. 2. ff. de Decur. his verbis: *Reſtitutus tamen in ordinem, vtrum eum ordinem retineat, quem primum habuit? An vero quem nunc nactus eſt, quæri poteſt? Et ſi forte de ordine ſententiarum dicendarum agatur, arbitror tamen eundem ordinem tenere, quam pridem habuerit.* Quare Abbatis cum Abbate præcedentia

tia ſemper attenditur à prima promotione licet non ſit perpetuus, demum ius præcedendi deſumitur à tempore in eſſe perpetuitatis, aut temporaneitatis, ſed à promotione illorum, vt ille alteri præferatur, qui primo fuit promotus ad dignitatem, ſiue actu conſeruetur, ſiue non.

Dubitabis ſecundo, an huiuſmodi ſententia profit Lateranenſibus & etiam Mendicantib.? Reſtringitur ad fauorem ſolum Lateran. excluſis à fauore alijs Canonicis Regularibus, contra præciſe, & ſolummodo Monachos Caſſinenſes, ea ratione, quia in ſententia, & Bulla fit tantum mentio de his duabus Religionibus, vt patet legenti, ergo alijs non prodeſſe, nec obeſſe poteſt, cap. Super
355 15. de offic. deleg. cap. Veniens 8. de tranſact. Barboſa axiom. 199. num. 11. Tum quia ſententia eſt ſtrictiſſimi iuris, Fulgoſ. cōſil. 40. Alex. vol. 7. conſil. 164. Dec. conſil. 47. Tum quia intelligitur abſq; præiudicio tertij, l. Et poſt 12. §. Res quæ ff. famil. Erciſc. Tum quia conformis debet eſſe libello, l. Vt fundus 18. ff. de iud. lis autem erat ſolum inter prædictos. Demum ſententia tantum importat, quantum ſonat, Socin. Iun. Conſil. 181. num. 6. & 97. Rota vol. 2. deciſ. 317. num. 4. ſonat autem in Lateranenſes, & Caſſinenſes, ergo illos tantum comprehendit.

Tertia difficultas eſt, an Caſſinenſes pro ſe poſſint allegare hanc ſententiam contra alios Regulares non Lateranenſes? Non, quia ſicut introductum in fauorem alicuius non eſt retorquendum in eius diſpendium, reg. 61. in 6. ita à contrario ſenſu factum in alicuius diſpendium non eſt retorquendum in alios fauore eius. Præterea ex eadem cauſa non debent oriri contrarij effectus, l. Meminerint, C. Vnde vi. l. Qui hominem §. fin. ff. de ſolut. gl. v. conceſſum cap. 3. diſt. 26. Ex quibus patet, Caſſinenſes nec pro ſe, neq; contra alios poſſe allegare dictam ſententiam.

Quarta difficultas ſit, an ſententia preciſe faueat Lateranenſibus, prout congregatim, & capitulariter ſpectantur, ān vero etiam prout ſinguli conſiderantur? Prout capitulariter ſpectantur, quod probatur ex verbis ſententiæ: *Incedentes in proceſſionibus, & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis.* nam in proceſſionibus itur congregatim, & capitulariter. Confirmatur. Tum quia debent vti cotta cum bireto; quod contingit in proceſſionibus. Tum quia ſequens particula tamquam genus reducitur, ſeu re-

ſtringitur per ſpeciem, conſequenter ſermo eſt de actibus dependentibus ab actibus proceſſionalibus, quæ ſolum capitulariter fiunt; quandocumq; enim in aliqua diſpoſitione fit mentio de ſpecie, & genere, hoc reſtringitur per illam, l. Generali 32. §. Vxori, ff. de Vſu, & Vſufr. Lapus allegat. 88. num. 5. cum alijs Barboſa axiom. 107. num. 16. conſequenter omnes actus referuntur ad proceſſionales. Tum quia ſi prædicta ſententia comprehenderet illos religioſos etiam vt ſingulares, & reſpectu cuiuslibet actus, qui etiam ſolitarie .i. ſine capitulo fieri poteſt, nulli Canonici in Congregationibus S. Officij, in Collegijs Doctorum tenerent locum reſpectu ingreſſus, ſed digniorem prætenderent reſpectiue ad Monachos, & tamen practicatur oppoſitum, nam vidi Monachos prius incorporatos præcedere Lateranenſes poſterius ingredientes. Tum quia quando Abbates vtriuſq; ordinis ſunt in Concilijs vnus alteri præfertur ſecundum tempus promotionis ex q. 110. & non ſeruatur eadem præcedentia, quæ practicatur in proceſſionibus, ea ratione, quod in Concilijs ſpectantur ſingulariter, & non capitulariter, nam religioſis ſpectatis vt ſingularibus non debetur præcedentia alias eiſdem debita prout ſpectatis congregatim, & capitulariter, ex Decio conſil. 161. §. quia ad hoc reſpondetur, Menoch. conſil. 52. Picardi, num. 137. ex Tamb. tom. 3. deciſ. 11. num. 2.

Quinta difficultas eſt, cur vti clerici cum cotta, & bireto incedunt in proceſſionibus? Ita incedere habent, vt per hoc demonſtrent, ſe eſſe clericos eſſentialiter, & ex inſtituto Religionis, vt dicitur expreſſe in ea Bulla ſententiæ confirmatoria, illis verbis: *Et ſunt de illis clericis à S. Auguſtino, quinimo à S. Apoſtolis inſtitutis, eoſdem Canonicos tam ſuæ antiquæ inſtitutionis huiuſmodi quam etiam dignitatis clericalis qua eo ſtatim, quod profeſſionem regularem emittunt, inſignitos eſſe opportet.* Nec quicquam valet, quod à quibuſdam infertur, nimirum Canonicos Regulares Lateranenſes ſpectatos ſine qualitate clericatus, & habitu clericali non eſſe præferendos Monachis. Quia, vt ſupra dixi, eſt demonſtratio clericatus, qui per ſe ineſt Canonicis coæuus eorum inſtitutioni. Et particula, *vti*, quæ ſimilitudinem indicat illorum cum clericis ſecularibus, non importat conditionem, ſed modum, ſecundum quem incedere debent in proceſſionibus. Demum Lateranenſes

raneuses quouis modo spectati, siue vt capitulariter, seu vt singulariter respectu cuiuscumq; actus præferendi sunt monachis ex ea duplici ratione, nimirum, antiquitatis, institutionis, & clericatus, in processionibus quidem, attenta sententia, in alijs attentis institutione, & clericatu tamquam iuribus præcedendi. Intellige quando attenditur prioritas institutionis, & clericatus respectu quorum præcedentiam habent etiam super reliquos Regulares quoscumq; nisi obstet specialis ratio, vt dicam suis locis. Si vero attendatur incorporatio in Congregatione, vel Collegio Theologorum, ille præcedit, qui prius fuit ingressus; & hac ratione quandoq; Monachus, immo & Mendicans præfertur Lateranensi posterius recepto.

Quæres 111. An Canonici Regulares S. Georgij in Alga, alias seculares præferantur Lateranensibus?

357 ℞. Affirmatiue ex Bulla data per Pium V. incip. *Cum alias nos.* Dum eosdem compellendo ad solemnem professionem, indulsit statuendo, quod in processionibus locum haberent immediate ante clericos seculares, ac proinde locum digniorem haberent supra Canonicos Lateranenses, non obstante, quod illorum institutio sit posterior, nimirum, de anno 1404. factorum Regularium ex professione sub Pio V. Tambur. tom. 2 disput. 24. quæstione 4. numero 32. qui tom. 1. disp. 25. quæstione prima in fine, extendit supradictam Bullam. Ratio autem cur præferantur Lateranensibus est, quia adhuc retinent nomen, & priuilegia Clericorum Secularium, qui in processionibus præferuntur omnibus Regularibus Canonicis, Monachis, & Mendicantibus. Deinde locus iste eisdem assignatus erat in antea, ergo in eo manutenendi erant. Præterea absurdum fuisset, si ex suo bono opere emittendi professionem solemnem reportassent incommodum. Insuper professione ascenditur, ergo illa non debet esse causa descensus à loco digniori ad minus dignum, neque enim ex eadem causa diuersi, & contrarij effectus prouenire habent, ex vulgatis iuribus. Demum ad id faciunt, quæ adduxi in præcedenti quæstione §. Dubitabis secundo.

Quęres 112. An Celestini præferantur Oliuetanis?

358 ℞. Celestini præferuntur Oliuetanis ratione institutionis, & confirmationis iuxta dicta questione 101. nam Cęlestinorum ordo incæpit anno 1274. confirmatus à Gregorio Decimo apud Rodiquez tomo primo quęstione tertia articulo septimo Azorius libro nono capitulo 21. Oliuetanorum anno 1319. confirmatus à Ioanne XXII. ex eodem Rodriquez articulo tertio. Vide q. 103. In terminis casum decidit Rota apud Tambur. tom. 3. decis. 109.

Quęres 113. An Oliuetani pręferantur Monachis Montis Virginis?

359 Respond. Pręferuntur Monachi Montis Virginis, quia eorum Ordo incæpit anno 1121. supra quæstione 103. Oliuetanis, quorum ordo incæpit ab anno 1319. ex præcedenti quæstione. Ita decisum fuit coram Cardin. Caualerio, apud Tamburinum tomo tertio decisione 110. Iterum infra quæstione 117.

Quæres 114. An Monachi Cistercienses Ordinis B. Mariæ Fulliensis præcedant Mendicantes?

360 Respond. Affirmatiue, ex Bulla incip. *Regis pacifici* 56. Clementis Octaui cum excommunicatione reseruata contra illos molestantes apud Lucernam Regul. v. Præcedentia numero 10. Rationem reddit, quia non Mendicantes præcedunt Mendicantibus semper, & vbique, subdit numero 11. Ratio germana est, quia nouus ordo non est, sed antiquioris reformatio extantis ante originem Mendicantium. Hic ordo incæpit anno 1583. Tamburinus tomo secundo disputatione 24. numero 61. Alius ordo Fulliensis Reformatorum Sancti Bernardi à precedenti diuisus, ab Vrbano Octauo approbatus secundum exemptionem, & separationem à prædicto, Bulla incip. *Ad vberes*. Data 22. Maij 1630. Gaudet autem per dictam Bullam ijsdem priuilegijs, quibus prior, consequenter etiam prærogatiua precedentię, non enim est nouus ordo, sed antiqui reformatio, & ab eo actualis separatio.

Quæres 115. An Siluestrini preferantur Mendicantibus?

361

361 ℞. Præferuntur, vt decisum fuit 24. Ianuarij 1617. quia Monachi, quorum ordo incæpit 1231. Sed quia in diæcesi Nucerina quæstuationem exercebant, Mendicantes nolebant illis locum cedere, quia postremo conuentum receperant, ideo quæstuatione omissa, eisdem locus supra Mendicantes assignatus fuit. Ita Tamb. tom. 1. disp. 25. q. 8. num. 8. Barbosa de iure eccles. lib. 1. cap. 43. num. 185. Lucerna Regul. v. eod. n. 21.

Quæres 116. An Regulares spectati vt singulares gaudeant eadem præcedentia, quam habent congregatim, & capitulariter considerati?

362 ℞. Negatiue, quia Regulares congregatim spectati habent rationem membrorum suo capiti vnitorum, quod est eorum superior, & prælatus; disgregati vero & vt singulares eam rationem amittunt; sed membra sub capite, & capiti coniuncta perfectiora sunt, & efficaciora, siquidem plus possunt vnitim cum capite, quam diuisim, & sine illo, ergo iure potiori gaudere debent simul cum capite spectati, quam sine illo. Deinde membra cum capite eodem iure censeri debent, gl. v. Ac per hoc, cap. In Synodo, dist. 63. ergo ab eo diuisa non eodem iure potiuntur, consequenter non habent eas omnes prærogatiuas, quibus gauderent, si essent cum capite. Confirmantur prædicta, quia Canonici vti singulares spectati non gaudent prærogatiuis, quibus potiuntur capitulariter spectati, ex adductis sub q. 77.

Quæres 117. An Regulares non viuentes collegialiter, seu non habentes collegium, seu conuentum formatum postponantur viuentibus collegialiter, & conuentualiter, etiam posterioribus religione, & ingressu?

363 ℞. Affirmatiue, & ita decisum refertur per extēsum apud Tambur. decis. 110. 111. & 112. fauore Monachorum Oliuetanorum contra Monachos montis Virginis, licet isti antiquiores sint illis, ex dictis q. 113. quia montis Virginis Monachi non viuunt conuentualiter, seu collegialiter, cum in Terra Ayrolæ debeat residere tantum vnus Monachus cum suo Conuerso extincta ibi conuentualitate ex Bulla Pauli V. Qui autem viuunt collegialiter præferuntur alijs, qui viuunt singulariter, ex Decio cōsil. 160. §. Quia ad hoc, Selua part. 1. de Benef. q. 2. num. 82. & 83. Picardus apud Menoch. consil. 52. num. 137. Facit gl. v. Collegiatas

cap. Statutum, de elect. Innoc. in cap. Cum dilectus, de elect. nu. 5. Abbas in cap. Cum non liceat, de præscript. num. 2.

Collegium, seu Conuentus formatus dicitur ille, in quo plures morantur religiosi, & sicut tres personæ faciunt collegium, l. Neratius 85. de verb. signif. gl. in cap. A nobis, de iurepatr. ita & conuentum, qui venit sub nomine collegij, ex Rebuffo super dicta lege, Vers. & sic appellatione, tex. in cap. Cum ea, de ijs, quæ fiunt à prælat. Priuilegia autem vnius conuentus adhuc ibi conseruantur, licet vnius esset religiosi, vt multis citatis docetur in decis. præcitata 112. num. 4. & 5. apud Tambur. Vbi subditur, id non fauere Monachis Montis Virginis ibidem, quia illud Monasterium auctoritate pontificia extinctum fuit, & reductum ad Grangiam.

Quæres 118. An quando Monachi non Mendicantes quærunt elemosinas perdant iura præcedentiæ competentia non Mendicantibus?

364 ℞. Perdunt, vt colligitur ex dictis sub q. 115. vbi Siluestrinis à Mendicantibus negabatur locus præcedentiæ ex eo quod mendicabant; decisum autem fuit, illos esse præferendos Mendicantibus, quia destiterunt à quæstuatione. Ratio potest esse, quia exercentes mendicitatem cedunt iuribus suis quatenus Monachalibus, respectu quorum præferuntur Mendicantibus. Confirmatur, quia mendicare est actus deffectus, & humilitatis, ergo non debetur illis ascensus, & exaltatio prærogatiuæ super Mendicantes, quando illis similes esse volunt in priuilegio Mendicantium, non enim diuerso iure sunt censendi, qui sub eodem priuilegio viuere prætendunt.

Quæres 119. An non Mendicantes vbiq; & semper præferantur Mendicantibus? Affirmant Barbosa lib. 1. de iure ecclesi. cap. 43. n. 189. ex illo Tamb. tom. 1. disp. 25. q. 8. num. 10. Gauantus v. præcedentia in Addit. num. 36. Lucerna Regul. v. eod. num. 10. ita fuisse decisum.

365 ℞. Id verum vniuersaliter non est, cum constet Mendicantium aliquos ordines præferri monachalibus posterius institutis, vt patebit infra q. 120. de Dominicanis, & q. 121. de Carmelitis, & alijs. Deinde Monachi prçferuntur Mendicantibus, ambobus collegialiter spectatis, quandoq; enim vnus Mendicans prçfertur

vni

vni Monacho, vt patet ex probata consuetudine Collegiorum, & Congregationum, in quibus ius præcedendi desumitur ex incorporatione, & ingressu in Collegium, seu Congregationem. Consequenter simul concurrentes Monachus etiam Prælatus posterius incorporatus, & receptus postponitur Mendicanti etiam non Prælato, & de hac re iterum infra sua loco. Et ita intelligitur Responsum S. Congr. confirmatum à Clem. VIII. fauore Monachorum Fulliensium, eos nimirum vti Monachos præferendos esse Mendicantibus, & in omnibus alijs actib. publicis, quatenus institutione Mendicantibus sunt priores, vide supra q. 114.

Quæres 120. An ordo Dominicanorum præferatur cæteris Mendicantibus, & nonnullis Monachorum ordinibus?

366 ℟. Affirmatiue, primo quidem respectu cæterorum Mendicantium res certa est de iure communi, tum ex prioritate approbationis, nam iste ordo institutus anno 1205. approbatus fuit anno 1216. supra q. 104. tum ex ordine literæ, nam vbique in iure primo nominatur, cap. Nimis 17. de excess. prælator. cap. In ijs 30. de priuileg. cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. vbi glos. v. Prædicatorum, hac ratione alijs præfert, gl. v. Prædicatores cap. Quia ex eo 3. de pactis in 6. cap. 1. de excessib. prælat. in 6. cap. Vn. de relig. dom. in 6. §. Sane, vbi numerantur quatuor ordines primarij Mendicantium, qui sunt Dominicani, Franciscani, Eremitani, & Carmelitani Contelor de præced. num. 11. Et in hoc nulla est difficultas, & si qua adesset, sublata intelligitur per Bullas Pontificias, quibus ordini Prædicatorum assignatur primus, & dignior locus non solum supra Mendicantes omnes, verum etiam supra nonnullos ordines Monachales institutione posteriores, vt patet ex eijsdem Bullis, quæ sunt duæ extensæ apud Tambur. tom. 1. disp. 26. q. 8. quarum prima incip. *Diuina disponente clementia*, Pij V. 71. in B.N. secunda incip. *Inter cætera cordis nostri*, Clementis VIII. ex parte referam ad rem nostram, priorem quidem tenoris sequentis sub. §. 3.

367 *Et nihilominus Fratres ipsos Ordinis Prædicatorum primum, digniorem, & honorabiliorem locum inter cæterorum quorumcumq; aliorum Ordinum Mendicantium Religiosos, etiam si tales essent, qui non generali sermone comprehenderentur, sed nota, & expressione speciali indi-*

indigerent, tam in sessionibus, & Congregationibus quorumcumq; Generalium, Prouincialium, & Synodalium Conciliorum, quam processionibus, ministerijs, & alijs actibus publicis, vel priuatis, in quibuscumq; Ciuitatibus, Oppidis, Terris, Castris, & alijs locis obtinere, & speciali praeminentia omnino gaudere perpetuo debere, etiamsi illic Ecclesias, Domos, vel Conuentus non habuerint, vel habeant, aut aliorum Ordinum Mendicantium Fratres, & Religiosi in eisdem Ciuitatibus, & locis, antiquiores pro tempore, eorumq; Ecclesiæ, Capellæ, Domus, & loca Regularia ibi primo instituta, & fūdata fuerint, eosdemq; Fratres Prædicatores adhuc, etiam per centum annos, aut diuturnius, aut alias quamtumuis longe magis immemorabile tempus præcedere consueuerint, declaramus, statuimus, & etiam definimus. Secunda vero Bulla, quæ est Clementis VIII. in B.N. 13. subijcitur ex parte his verbis. Sub §. 2.

Volumus, & decernimus in prædictis Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, & tota demum Prouincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, & præsertim in ciuitate Oriolen. & Oppido ciuitate nuncupata Alicante, & loco de Castelio della Plana huiusmodi, eum ritum, & ordinem inter Fratres S. Dominici prædictos, ac alios Mendicantes, siue alios Regulares, quoscumq; cuiusuis Ordinis, vel Religionis existentes seruari debere, qui in hac Vrbe nostra omnium capite seruatur. Videlicet, quod in omnibus actibus, & processionibus, tam publicis, quam priuatis post Canonicos, & Clericos Seculares, & antiquos Ordines Monachales, si qui incesserint, dicti Fratres Ordinis Prædicatorum, primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ita ut dicti Fratres S. Dominici immediate post modo dictos subsequantur, post quos omnes alij Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes, cuiusuis Ordinis, vel Religionis existant, incedent, & subsequentur, etiam si Ecclesia, Capella, Conuentus, Domus, & loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis primo instituta, & fundata non fuerint, prout Nos id de facto obseruari volumus, & præcipimus.

368 Circa dictas Bullas de quib. aliquid Contelor. de præcedent. num. 13. suboriuntur nonnullæ difficultates pro earum intelligentia. *Prima* est, quid veniat sub nomine actuum tam publicorum, quam priuatorum, & nomine processionum? *Secunda*, An primæ Bullæ fuerit derogatum per Bullam Gregorij XIII. de

præ-

pręcedentia in processionibus? *Quarta*, an secunda Bulla extensa intelligatur per totum ordinem? *Quinta*, quinam sint Ordines Monachales antiquiores, quibus Dominicani non præferuntur? *Sexta*, an sit aliqua pęna contra molestantes Dominicanos in materia pręcedentię? *Septima*, an eisdem Prędicatoribus vti singularibus faueant prędictę constitutiones, seu Bullę?

369 Primæ respondetur, nomine processionum venire quascumq; siue viuorum, vt aiunt, cuiusmodi sunt processiones Sanctissimi Corporis Christi, Rogationum, Quadraginta horarum, &c. siue mortuorum, quæ fiunt in deferendis cadaueribus defunctorum ad sepulturam, seu alio quouis modo funeralia ducantur. Nomine actuum veniunt sessiones in Capella Papæ; vt dicitur initio primæ Bullæ, in Concilijs sessiones, & responsiones, subscriptiones, item in Congregationibus S. Officij, in Congregationibus Episcopalibus, Regularibus, & huius generis, in deferendo Baldachinum, seu Vmbellam, vbi est in vsu, in Disputationibus, vt infra suo loco. Si quis tamen Dominicanus recipiatur in Collegio, in quo præcise attenditur tempus ingressus; & incorporationis, tunc non gaudet loco digniore, sed sedet post receptos ante se in Collegio. Ad quod faciunt, quę dicam in responsione septimæ difficultatis.

Secundæ satisfit, dicendo, per Bullam Gregorij XIII. incip. *Exposcit*, derogari supradictæ Bullæ Pij V. in eo, quod Dominicani posteriores in loco postponuntur in processionibus tam viuorum, quam mortuorum, & actibus ab eis dependentibus cæteris Mendicantibus prioribus in loco, vt dicam sequenti quęstione n. 372.

Tertię respondetur, secundam Bullam extendi, & communicari eisdem Prędicatoribus in alijs locis, nam ea continet priuilegium, fundatum in iure communi secundum quod vna religio pręfertur alteri attenta prioritate approbationis, & sic de iure, & de priuilegio debetur illis pręcedentia, siue in loco controuersię sint priores, de quo non est dubitandum, siue posteriores, titulo pręcise priuilegij, nam respectu posterioritatis Clemens VIII. in hoc derogauit Bullę Gregorij XIII. illis verbis: *Non obstantibus literis dicti Gregorij Decimitertij prædecessoris*

Hoc

Hoc autem priuilegium, nostris temporibus nihil prodesset, tum quia intelligitur de conuentibus eo tempore receptis, illis verbis: *Et loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis primo instituta, & fundata non fuerint.* Ecce, quod Bulla loquitur de Conuentibus iam fundatis, licet non primo, sed post fundationem aliorum Mendicantium. Tum quia modo adest Bulla Vrbani VIII. de qua sub q. seq. per quam statuit Regulares etiam Dominicanos in loco posteriores postponendos esse prioribus in loco, iuxta quod dicam infra.

Quintæ, Ordines Monachales antiquiores, quibus non præferuntur Dominicani, sunt illi, qui approbati fuerunt ante annum 1216. quo approbatus fuit ordo S. Dominici. Quare Ordines Monachales, quos recensui sub q. 103. vsq; ad Siluestrinos exclusiue, præferuntur Dominicanis, quia antiquiores illi sunt istis in approbatione. Ijdem vero Prædicatores præferuntur reliquis Ordinibus Monachalibus incipiendo à Siluestrinis, quia isti omnes post Prædicatores approbati fuerunt. Canonicis vero Regulatibus posterioribus non præferuntur, quia in ea Bulla fit mentio tantum de Monachis, sub quo nomine non veniunt Canonici in odiosis.

Sextæ in vtraq; Bulla exprimitur Excommunicatio nulli reseruata contra molestantes Dominicanos in materia præcedentiæ; in prima continentur hæc verba: *Omnibus, & singulis quorumcumq; aliorum Ordinum Mendicantium pro tempore Religiosis inhibentes ne de cætero præmissorum occasione Ordinem Fratrum Prædicatorum huiusmodi, illorumq. pro tempore Religiosos quoscumq; molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, aut præsumant.* Eisdem verbis fertur excommunicatio in secunda Bulla, incurritur autem hæc pæna ab eis, qui nullo iure prętenso audent impedire Predicatores à iure aquisito præcedentiæ.

Septimæ demum respondetur prædictam primam Bullam fauere Prædicatoribus non solum capitulariter, sed etiam singulariter spectatis, nam Generalis in Capella Papę, & in Concilis singulariter spectatur, in processionibus capitulariter; in secunda vero spectantur tantum capitulariter, ex dictis.

Quæres 121. Quem pręcedentiæ ordinem seruent Mendicantes in processionibus ad præscriptum Bullę incip. *Exposcit*, Gregorij XIII. publicatæ die 17. Iulij 1583. 370

370 R. Seruatur sequens ordo expressus sequentibus verbis: *Decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de praecedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites, & causae praemissorum occasione ortae iam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae, ac iuris praecedendi sunt, ij, (quibuscumq; reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis, quam priuatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi inter Fratres, qui sunt Mendicantes, ij, qui antiquiores in loco controuersiae; inter Confratres vero, inter se litigantes, ij, qui prius saccis vsi sunt, in processionibus tam publicis, quam priuatis praecedere debeant. Ita vt si contigerit noua Monasteria, aut Domus alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu Domum in loco habuerit, praecedat. Praeterea, quia inter praedictos Ordines plerumq; alia in processionibus, & alia in Concilijs Generalibus, & alijs actibus publicis, siue priuatis, ratio circa modum praecedendi seruatur, nolumus per praesentes praerogatiuis dictorum Ordinum, quo ad praecedentias huiusmodi, quae proprijs Ordinibus, praeterquam in processionibus praedictis debentur. Aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conuentualium Sancti Francisci, aut Minorum de Obseruantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, vt solent, incedere possint, aliquod praeiudicium generari.* Hęc Papa Gregorius.

Forma igitur praescripta Mendicantibus in hac Bulla in eo consistit, vt qui tempore publicationis eiusdem erant in possessione pręcedendi, maneant in eadem, nullo respectu habito ad prioritatem approbationis, aut receptionis conuentus. Qui vero non sunt in possessione praeferantur antiquiores in loco alijs posterioribus in eodem. Pariter in recipiendis conuentibus nouis, in praecedentia attendatur loci receptio, vt illi praeferantur, qui prius conuentum receperunt.

371 Nonnullę difficultates proponendę sunt super dictam Bullam *Prima* sit, An per hanc Gregorij Bullam derogatum fuerit Bullę Pij V. fauore Prędicatorum? de qua diximus pręcedenti quęstione.

stione. *Secunda*, An in ea sermo tantum sit de processionibus? *Tertia*, quaenam sint illae processiones tam publicae, quam priuatae? *Quarta*, An sub ea comprehendantur Ordines Canonicorum, & Monachorum, itaut, si modo recipiant aliquem nouum conuentum postponantur omnibus etiam Mendicantibus? *Quinta*, An relicto priori ad secundum transeuntes perdant priorem praecedentiam, & cogantur incedere vltimo loco? *Sexta*, An quādo plures conuentus eiusdem Ordinis incedunt sub vnica cruce, si incipiant singuli propriam Crucem erigere, conseruent praecedentiam antiquam? *Septima*, quid dicendum de Capucinis, qui de nouo propriam erexerunt Crucem? *Octaua*, An qui initio ingressus in Ciuitatem non erexerunt Crucem praeferantur alijs loco posterioribus, sed in erectione Crucis prioribus? *Nona*, An Bulla haec locum habeat, quando Regulares inter se faciunt proprias processiones? *Decima*, An Regulares se inuicem inuitantes dare possint locum digniorem posterioribus? *Vndecima*, an Regulares inuitati possint incedere sub Cruce Parochiali? *Duodecima*, an in processionibus detur manus muralis digniori mutatione loci? *Decimatertia*, an Episcopus inuitatus ad processiones Regularium digniorem habeat locum. *Decimaquarta*, an Bulla locum habeat inter religiosos eiusdem Ordinis. *Decimaquinta*, an qui olim intererant processionibus, si intermittant, vt quia sunt pauci, si iterum intersint, perdant locum antiquum? Singulis satisfit in sequentibus responsionibus.

Primae, per hanc Gregorianam derogatum fuit Bullae Pij V. fauore
332 Praedicatorum, quatenus si post hanc Bullam recipiunt nouos Conuentus, debent tenere vltimum locum respectu quorumcumq; Ordinum, qui sunt priores in loco; quod patet, Tum quia Gregoriana afficit omnes Mendicantes, ac proinde etiam Dominicanos quo ad hoc. Tum quia adest clausula: *Non obstantibus, &c.* cum derogatione derogatoriarum, &c. & sic docet Campan. Rubr. 12. cap. 13. num. 121. Et licet quod ad rem hanc Contelor. de praeced. num. 74. absolute dicat per Gregorianam non derogari Bullae Pij V. ea ratione, quod constitutio generalis non tollit specialem, etiam si constitutio generalis sit posterior, per iura, & doctores ab ipso citatos; tamen id verum non est, quando in clausula obstatiua exprimitur saltem in genere specialis constitutio,

tutio, vt fit in Bulla Gregoriana ibi: *Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis illis, eorumq; superioribus, & personis, &c.* Negauit autem absolute derogari Bullæ Pij V. per Gregorianam, vt instrueret præcedentiam Generalis Dominicani supra Commendatorem S. Spiritus; sed poterat respondere, nihil officere derogationem Bullæ Pij V. non autem respectu aliorum actuum, de quibus nihil disponit Gregoriana, vt dicam respondendo secundæ difficultati. Demum adest Bulla Vrbani VIII. extensa apud Peyrinum ad calcem tomi tertij priuileg. fol. mihi 544. incip. *Nuper.* in qua habetur, Bullam Gregorij XIII. esse seruandum ab omnibus Mendicantibus, inter quos exprimuntur etiam Dominicani, contra quos datæ fuerunt duæ Responsiones S. C. in quibus decernitur Dominicanos cedere debere locum Franciscanis Conuentualibus prioribus in loco, iuxta motũ Greg. XIII. & quia illæ Responsiones erant speciales prouisiones, Papa per suã Bullã fecit generales. Subijciam partẽ Bullæ eius Vrb. fe. me. his verbis. *Præinsertas literas ab eisdem Cardinalibus alias vtcumq; in casibus particularibus emanatas, cum innitantur iustitia Motus proprij Gregorij XIII. hac de re editi, & sint conformes declarationibus Sacrarum Tridentini Concilij, ac Rituum Congregationum, vt qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant, & vbi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ij, qui sunt antiquiores in loco controuersiæ, esse generaliter obseruandas vbicumq; contigerit de eadem præcedentia dubitari, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus.* Ex quo videtur etiam derogatum Bullæ supradictæ Clementis VIII. fauore eorumdem Prædicatorum, per clausulam obstatiuam similem clausulæ Motus Gregoriani, iuxta quod dixi hic superius.

373 Secundæ, in Motu Gregoriano est sermo tantum de Processionibus ibi: *Præterea, quia inter prædictos ordines plerumque alia in processionibus, & alia in Concilijs Generalibus, & alijs actibus publicis, siue priuatis ratio circa modum præcedendi seruatur nolumus per præsentes prærogatiuis dictorum ordinum quo ad præcedentias huiusmodi &c. aliquod præiudicium generari.* Sic docet Contelorus de præcedentia numero 77. subdens, hunc Motum Gregorianum tamquam iuris communis correctorium non esse extendendum ad alios casus, ex allegatis per ipsum.

Ego

Ego autem puto, Motum hunc esse conformem iuri communi, ex eo, quod innititur non solum illi Reg. Qui prior est tempore, potior est iure, sed alteri quoq; l.Nemo, C.de off.ma.off. quoniam ille gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteire; videtur enim absurdum, quod Religiosi licet approbatione antiquiores de nouo recipientes conuentum hic, vbi nondum laborauerunt in vinea Domini, præferendi sint alijs licet posterioribus approbatione, qui in loco multis ab hinc annis habitantes laborauerunt concionibus, confessionibus, & alijs exercitijs tum spiritualibus, tum corporalibus inseruiendo ciuibus, & incolis ciuitatis. Præterquamquod antiquiores religiosi in loco iam aquisierunt legitime ius præcedentiæ loci dignioris, & sunt iam in pacifica possessione, ergo nulla ratione remouendi sunt à iure quæsito. Igitur antiquitas approbationis dat ius præcedendi supra posteriorem, quando posterior ordo in approbatione nondum ius aquisiuit dignioris loci, & quando attendenda est antiquitas approbationis.

374 Tertiæ, processiones publicæ sunt, Corporis Christi, Rogationum, & quæ fiunt pro bono publico, vt in Iubileis, imminenti peste, fame, bello, intemperiæ, vel pro gratiarum actione pro liberatione à prædictis, in aduentu noui Episcopi, vt recensui Resolut. 7. q. 45. *num.* 127. *Vide Barbosam ad cap.* 13. *sess.* 25. *num.* 40. Adde si fiat pro Principe, & immediato superiore loci ægrotante. Publicæ non dicuntur, quæ fiunt pro translatione reliquiarum, vel earum delatione, similiter neq; conuocatione ad quadraginta horas, ad Synodum, seu Concilium, & huiusmodi, neq; insolitæ veniunt, sed ordinariæ. Priuatæ processiones, quæ fiunt à particularibus ecclesijs, etiam à Catedrali extra publicam vtilitatem, item processiones Regularium, & funerales.

375 Quartæ, puto non Mendicantes si de nouo recipiant conuentum in aliqua Ciuitate, vbi antea monasterium, nec ecclesiam habebant, non esse præferendos Mendicantibus iam in loco existentibus, sed vltimum locum eis esse assignandum, propter rationes adductas in fine Responsionis ad 2. diff. hic supra. Nec obstat Motus Gregorianus, in eo, quod disponit tantum circa Mendicantes, quia licet id sit verum, quatenus est lex illos solummodo afficiens directe, nihilominus etiam non Mendicantes regulandi

sunt

sunt quo ad processiones in ratione præcedentiæ respectiue ad hunc specialem casum, respectu cuius præcise attenditur illius obseruatio, & executio. Confirmatur id, quia decisio Rotalis apud Tambur. decis. 109. considerauit Motum Gregorianum in causa præcedentiæ inter Celestinos, & Oliuetanos. Nec obstat, quod lis fuerit inter non Mendicantes, quia similis lis orta inter Siluestrinos Monachos, & Mendicantes, de quibus dixi q. 115. decisa fuit fauore Siluestrinorum, non quia Monachi præcise, sed quia licet posteriores in loco, ab initio tamen habuerunt possessionem præcedendi de facto supra Mendicantes, qui videntes eosdem mendicare tentauerunt perturbare illos, & deijcere à iure quæsito. Ne tamen tamquam Mendicans videar loqui ex nimio affectu redico, Bullam attendi tantum relatiue ad Monachos inter se. Excipiendi sunt Lateranenses ex titulo Clericatus, & clericalis ornatus, item Canonici de Alga, qui simpliciter coniunguntur in præcedentia clericis secularibus.

376 Quintæ, relinquentes priorem locum, & nouum conuentum recipientes, seu fabricantes in alio loco, siue in suburbijs, siue intra ciuitatem, non perdunt ius præcedentiæ aquisitum; probatur, *Tum quia* ad ius præcedentiæ secundum Motum Gregorianum sufficit habere monasterium, seu domum in loco; sed non obstante mutatione talis loci in talem alium locum, adhuc dicuntur esse in loco simpliciter. *Tum quia* fit transitus regulariter ad meliorandum, ergo non debet huiusmodi mutatio operari contrarium effectum. *Tum quia* sufficit, quod semel adimpleta sit conditio etiam in momento, Doct. in l. Si quis hæredem 7. de institut. & substitut. sed relinquentes priorem locum iam per illius receptionem aquisierant ius præcedendi, ergo illis conseruandum est. *Tum quia* ius præcedendi sequitur Religiosos dependenter tantum à loco in genere, non in specie, sufficit enim ex Motu habere domum in loco absolute, non autem in tali loco loci, seu ciuitatis. Pariter extra suburbia habitantes, vti Cistercienses hic Parmæ, se in ciuitatem recipientes, & monasterium fabricantes priora iura non perderent, ob adductas rationes. Confirmantur prædicta *ex Rodr. tom. 2. q. 49. art. 9. & Lezana citante Rodr.* quia non dicitur aquiri nouus conuentus, quando fit mutatio in eadem ciuitate de loco ad locum.

377 Sextæ respondetur, quando eadem religio habet plures conuentus in eodem loco, omnes simul incedere possunt sub Cruce antiquioris monasterij, si volunt, & tunc omnes gaudent præcedentia debita antiquiori conuentui, neq; vlli iniuriam faciunt ratione posterioris conuentus, quia censentur omnes esse prioris conuentus, eo quod congregantur sub eius Cruce, & superiore; vnde neq; sic incedere Fratres posterioris conuentus prohiberi possunt ab intermedijs Regularibus, quia non procedũt vt membra posterioris conuentus, sed vt partes prioris monasterij. Quod si Fratres posterioris monasterij volunt Crucem propriam erigere, habebunt locum à die receptionis sui conuentus, quia locum ingressi sunt cum eo iure, & priuilegio erigendi Crucem; nec obstat, quod antea non exercuerint propriam Crucem, quia nemo cogitur vti suo priuilegio, consequenter illius non vsus obesse non debet postea vtentibus, cum voluerint. Intellige, quando ius habent erigendi propriam Crucem, quod dico propter Capucinos, de quibus seq. §. Septimæ. Non possunt cogi procedere sub propria Cruce posteriores recepti, quando volunt incedere sub Cruce antiquioris conuentus, tum ob adductam rationem, quia intermedijs non fit iniuria; tum quia rationabile est, quod minor subsit maiori, siquidem antiquior conuentus habet potiora iura, cum sit prior tempore. In hoc casu Prior posterioris Conuentus incedet ad sinistram Prioris antiquioris Conuentus, quia Crux est huius propria, & monasterij superior, cui in hoc præcise omnes habent subesse.

378 Septimæ de Capucinis, isti Patres à die erectionis propriæ Crucis, cum antea illam nunquam eleuassent, incipiunt habere ius pręcedentię supra omnes, qui post illum diem venient de nouo habitare in loco, & de hoc nulla est difficultas, quæ tantum consistit in eo, an præferendi sint illis ordinibus, qui sunt posteriores illis, quoad habitationem in loco? Respondit S. C. in hæc verba. *Congregatio Sacrorum Rituum ad tollendas controuersias, quæ post concessam Fratrib. Capucinis propriæ Crucis erectionem inter Regulares circa præcedentiam in processionibus ortæ sunt, censuit, Illustrissimo Millino referente, Capucinos cedere debere digniorem locum ijs Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in processionibus incedebant, antequam ipsi propriam Crucem deferrente.*

Die

Die Sabbati 23. *Martij* 1619. Eam conseruo apud me autenticam, & extendi etiam Resol. 7. q. 45. num. 138. pag. 85. De ea mentionem facit Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 8. num. 9. ex Barbosa lib. 1. de iure eccl. cap. 43. num. 185. Lezana v. Præcedentia num. 4.

379 Octauæ satisfit dicendo, illos, qui ab initio ingressus non erexerunt Crucem ob defectum religiosorum, vel ex alia causa, habentes tamen ius illam erigendi in processionibus, si postea erigant, dato numero Fratrum, habere ius præcedendi à die legitimi ingressus in loco supra omnes posterius receptos in eodem loco, quamuis posterius recepti prius Crucem erexissent, quia ius præcedendi non aquiritur à prima Crucis erectione, sed à receptione conuentus, seu domus in loco. Sed qualis dicitur legitimus ingressus? Dico, quando ab Episcopo Religio obtinuit licentiam fundandi nouum Conuentum, aut iam fundatum habuit ab eodem Episcopo, iuxta Bullas Pontificias de recipiendis nouis Conuentibus. Vide Franciscum Cespedes Clericum Regularem in suo doctissimo tractatu de Exemptione Regularium nouissime edito, cap. 1. Vbi de monasterijs ædificandis. Patet ex Bulla Gregoriana illis verbis: *Ille ordo, qui prius monasterium, aut domum in loco habuerit, præcedat.* Nullus autem Regularis conuentum habere potest, aut domum in loco, sine licentia Episcopi. Dicitur autem Religio habere Monasterium in loco, quo ad hunc effectum, quando cæpit illud fabricare, aut habitare cum licentia ad illud fabricandum, si illud iam ab alijs fabricatum sibi donatum non fuit. Et puto sufficere Hospitium per illa verba in Bulla disiunctiue expressa: *Monasterium, aut Domum*, cum intentione debito tempore fabricandi conuentum, quicquid dicant Naldus v. Præcedentia num. 4. Lezana v. eod. num. 6. Solent enim Regulares primo recipere Hospitium, quod proprie venit sub nomine, *Domus*, vt deinde facilius perueniatur ad erectionem Monasterij. Ad præcedentiam autem aquirendam sufficit prioritas vnius diei, immo horæ vnius ordinis supra alium, ex Barbosa de Episc. Allegat. 78. num. 33. & 34. Lezana v. eod. num. 4.

380 Nonæ respondetur, Bullam Gregorianam locum habere, quando Regulares faciunt proprias processiones inuitando alios religiosos, ratio est, quia Bulla loquitur de processionibus tam

publicis, quam priuatis; inter priuatas autem recensentur, quæ fiunt inter Regulares, & à Regularibus, ex dictis hic in Respons. ad diff. 3.

381 Decimæ, dum Regulares inter se procedunt, possunt causa vrbanitatis cedere digniorem locum inuitantibus inuitati, ea ratione, vt inuitantes commodius, & decentius deferant v. g. reliquias, quibus dandus est dignior locus. Quare Franciscani inuitati à Carmelitis in suis processionibus possunt, & ex vrbanitate debent istis cedere digniorem locum. Neque ex hac cessione aliquod ius aquiri potest, neq; intelligitur aquisitum illis, quibus ea occasione concessus fuit locus dignior, quia vrbanitatis causa, & ex ciuilitate facta quantocumq; tempore non præiudicant iuri publico, nec priuato, neq; in petitorio, neq; in possessorio, l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. ibi Bart. Imola, Alex. & alijs, quos in terminis præcedentiæ citat Bariola consil. 29. sicut neq; verba vrbanitatis inducunt obligationem, glos. commendare cap. Nemo 15. de elect. in 6.

382 Vndecimæ, nichil prohibet, quin Regulares, si velint, possint incedere sub Cruce Parochiali illius Parochi, à quo fuerunt inuitati, in quo casu permixtim incedendum non est cum clericis, sed illis dignior locus relinquendus est; sed melius est procedere cum propria Cruce ad euitandam confusionem. Florentiæ vsus est, quod omnes congregentur ad Parochialem defuncti, & inde recedant sub vnica Cruce illius nempe Ecclesiæ ad quam efferendum est cadauer quæcumq; ea sit, siue regularis, siue secularis.

383 Duodecimę, incedendum est immutabiliter, quia in processionibus, & alijs incessionibus manus dextera simpliciter dignior est propter ordinatam gradationem personarum incedentium. Confirmatur id, quia talis mutatio manuum potius confusionem, quam ordinem generaret. De præstantia manus dexteræ supra sinistram dixi q. 40.

384 Decimætertiæ, Episcopus accedens ad processiones Regularium, à quibus inuitatus fuit, obtinet digniorem locum, tum quia vbique honorandus est, ex probatis quęstione 55. tum quia precisa inuitatio arguit hunc honorem esse illi exhibendum, inuitatio enim est honoris causa. Quę procedunt etiamsi non sit inui-

inuitatus. Rodr. to. 2. q. 59. art. 1. Cespedes dub. 215. de exempt. Regul.

385 Decimę quartę respondetur, Bullam Gregorianam locum habere etiam inter plures conuentus eiusdem ordinis, vt inter Franciscanos, ita quod priores in loco præferuntur posterioribus, quia Bulla indifferenter loquitur de Fratribus Mendicantibus, ibi: *Inter Fratres, qui sunt Mendicantes*; neque illa verba: *Ille ordo, qui prius Monasterium in loco habuerit, præcedat.* Vrgent, quia Ordines Franciscani etiam sub prima Regula plures & diuersi sunt, nam alij sunt Conuentuales, alij Obseruantes, alij Capucini, conuenientes in genere ordinis, differentes vero in specie. Nec obstat, quod Capucini pręcedebantur à Conuentualibus ante erectionem proprię Crucis, licet in loco priores fuissent Capucini, vt colligitur ex Bulla, cuius ad hoc verba retulimus initio quęstionis; quia alia fuit tunc ratio, nimirum, quia incedebant sub Cruce Conuentualium, si quidem propriam nondum poterant erigere; alia vero nunc, quia propriam possunt eleuare Crucem, consequenter si in loco deinceps Conuentuales post Capucinos conuentum reciperent, isti pręferrentur illis. Sed de hac re iterum scriptio redibit infra quęst. 124. Quare audiendus non est Riccius parte secunda Praxis resoluttione 101. quem pro se citat Peyrinus tomo tertio capitulo secundo numero 28. dum dicit, controuersiam inter Conuentuales, & Capucinos ortam dirimendam esse ex approbatione vtriusque instituti, vt iure communi statuitur. Sed hæc ratio nulla est modo, cum in præcedentijs processionum attendatur Bulla Gregoriana, non ius commune de antiquitate approbationis ordinum, quod locum habet in alijs.

386 Decimæ quintæ difficultati respondetur, Fratres resumentes Crucem, cum qua intermiserunt interesse processionibus, in quibus incedebant alias, habere ius ad eumdem locum, quem tenebant primo in processionibus, non obstante ea intermissione. Probatur. Tum quia aquisitum ius per præteritas incessiones in processionibus cum alijs Regularibus non potuit perdi per intermissionem illam fundatam in legitima causa, vt puta quia conuentus non habebat numerum sufficientem ad incedendum in processionibus, qui debet constare ad minus quat-

387 uor religiosis, vt bini pariter incedant, licet conuentus fiat ex duobus, vel tribus gl. capitulo primo 10. quęstione prima desistentia enim à facto accedente consensu saltem tacito superioris eximentis ex causa ab onere accedendi ad processiones, non potest præiudicium afferre exemptis pro ea causa, quia inductum in fauorem non est retorquendum in odium ex vulgatis iuribus. Tum quia vt dixi quæstione 80. sicut Canonicus, qui resignauit, si accidat casus reuersionis ad suam præbendam, & canonicatum ob mortem resignatarij, qui vltimo loco sedebat, recuperatis eisdem regressu obtinet suum locum antiquum, non obstante intermissione, & resignatione, sibi regressu reseruato, vt per Rotam decisum fuit referente Parisio libro sexto de Resignatione quæstione quinta numero 55. quia retinendo sibi ius regrediendi per mortem resignatarij, non amissit possessionem ciuilem, & naturalem; ita & à fortiori Fratres per intermissionem ius præcedendi primo aquisitum nullatenus perdiderunt, nullus enim eos priuauit iure possessionis præcedeutiæ primo aquisito, si enim Canonicus, qui resignauit cum pacto regrediendi, recuperat antiquum locum, quare & Fratres suum antiquum præcedentiæ locum in processionibus quæsitum iam, retinere non poterunt, cum per illam cessationem incedendi in processionibus nichil renuntiauerint, aut resignauerint? *Confirmatur*, quia Regularis Episcopus reuersus obtinet locum antiquum suæ professionis, immo stat apud superiorem ex dictis quæstione 62. & 152. Remigans quoque reuersus ad claustrum gaudet iure antiquo præcedendi secundum suam professionem licet mortificato quæstione 153. Ergo à fortiori Fratribus debetur antiqua præcedentia in processionibus, non obstante absentia approbata ab Ordinario. Et ex his patent resolutiones ad supradictas difficultates super Motum Gregorianum de præcedentia in processionibus.

Quæres 122. De præcedentia Confraternitatum ad normam Motus Gregoriani relati, & explicati in præcedenti quæstione?

388

388 ℞. Verba Motus ſunt talia: *Inter Confratres inter ſe litigantes, ij, qui prius ſaccis vſi ſunt in proceſſionibus tam publicis, quam priuatis præcedere debeant.* Voluit Summus Pontifex, vt Confratres, ſicut & Mendicantes, remanerent in ſua pacifica poſſeſſione præcedentiæ, litigantibus vero aſſignauit præcedentiam ijs, qui prius ſaccis vſi fuerant, ſupra alios, qui poſtea illos induerunt, ita quod voluit Papa attendi vſum ſaccorum non inſtitutionem Confraternitatis. Quare ſi modo inſtituerentur duæ Confraternitates, & poſterior in inſtitutione, ſaccis in proceſſionibus etiam priuatis prius vteretur, quam prior, illa præferenda eſſet huic poſteriori in vſu ſaccorum, licet prior eſſet in inſtitutione. Nulla Confraternitas, quæcumq; ea ſit, & quibuſcumq; gaudeat priuilegijs locum digniorem, neque præcedentiam ſupra quemcumq; Clericum, aut Religioſum habeat, & multo minus Capitulum, cum Eccleſiaſtici in omnibus ſemper laicis ſint præferendi, licet alias omnes de Confraternitate Eccleſiaſtici eſſent, nam prout induunt ſaccis ſpectantur vt Confratres, non vt Eccleſiaſtici, ideo nulla ratione eis competit præcedentia ſuper iſtis, præterquamquod incongruum eſt Religioſum ſupponi ſeculari, cap. 2. de Capell. & abuſum eſſe cenſuit S. Congr. prout refert Barboſa v. Abuſus.

Quęres 123. Ad quem ſpectet componere lites de pręcedentia ortas tam inter Regulares, quam Confratres in proceſſionibus?

389 ℞. Res clara eſt, ſpectare ad Epiſcopum loci controuerſię ex Tridentino ſeſſ. 25. cap. 13. illis verbis: *Controuerſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur, inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares, quam regulares cum in proceſſionibus publicis, tum in ijs, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & alijs ſimilibus Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumq; componat.* Docent plerique ſermonem eſſe tantum de appellatione ſuſpenſiua, non autem deuolutiua, vt deciſum referunt nõnulli apud Barboſam hic num. 9. & docui ego Reſol. 7. num. 139. & ſequitur Ceſpedes dub. 216. de exempt. quod dixi verum eſt, ſiue adſit ſcandalum, ſiue non, quia ea clauſula non eſt conditionalis, ſed demonſtratiua tantum eius, quod ſolet accidere, oppoſitum tenent Decian.

Cenedus, & Salgadus, quos citat Barbosa hic num. 7. non componere secluso scandalo, sed melius est quod dixi, quia in processionibus Episcopus superior est de iure, ergo eius partes erunt simpliciter posita quauis lite super præcedentia ius dicere sine strepitu, & figura iudicij, vt tradunt omnes. Dicta procedunt, siue lis sit inter ipsos clericos, vel cum religiosis, siue inter ipsos religiosos etiam in priuatis processionibus, demum siue cum Confratribus inter se; vel cum alijs, licet enim de Confratribus nulla fiat mentio in Tridentino, tamen idem dicendum est de ipsis, quia eodem iure censendi sunt cum Ecclesiasticis, quando eadem causa controuertitur, maxime cum tunc causa pro spirituali, & ecclesiastica habeatur, siquidem sicut processio est causa totaliter ecclesiastica, ita controuersia de præcedentia super processione ecclesiastica est, consequenter definienda ab Episcopo, qui omnium prædictorum est iudex competens. Lezana v. Processio num. 5. dicit, Episcopum componere, si litigantes eijciat extra processionem, quando incontinenti non potest de iure contendentium videre. Et in hoc casu si Episcopus eijciat vnā partem, & non aliam, non teneri recedere eiectam, quia tunc iustitia iniuste administratur, cum ambę partes remittendæ sint domum. Neque Episcopo petenti ab vna parte, & pro vna vice cedat locum alteri parti, aquiescendum est, quia per hoc videtur magis fauere vni, quam alteri. Demum si vna pars sponte recedit à processione, quam altera locum prætensum iam occupatum non vult cedere, non ideo perdit sua iura, quia discedit ad euitandum magis scandalum.

Quæres 124. De Præcedentia Franciscanorum inter se, & respectu aliorum? Franciscani sub prima Regula diuiduntur præcipue in tres classes, qui sunt Conuentuales, Obseruantes, qui vulgariter dicuntur Zoccolantes, & Capucini. Demum adsunt Tertiarij Regulares viuentes sub propria Regula Nicolai IV. de quibus etiam dixi q. 104. & 108.

390 ℞. Franciscani sub prima Regula postponuntur Dominicanis, & præferuntur Augustinianis, & Carmelitanis, si attendamus approbationem singulorum Ordinum prædictorum, & ius commune, quod inuariabiliter eos ordine prædicto registrat pluribus in locis, quæ attulimus supra sub q. 108. & 120.

391

391 Obseruantes in quibuscumq; processionibus, & alijs actibus, in quibus deferenda est Crux digniorem locum habent supra Conuentuales, vt decreuit Leo X. Bulla incip. *Licet alias*, extensa apud Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 8. num. 4. Ratio est, quia non sunt minus filij S. Francisci, quam Conuentuales, quos sicut superant in Obseruatione Regulæ, & Reformatione morum, ita condecens fuit, vt eosdem excederent quo ad locum digniorem. Quare hic Parmæ Obseruantes præferuntur Conuentualibus.

392 An autem per Motum Gregorianum, quem explicauimus præcedenti q. 121. derogatum fuerit præfatæ Bullę Leonis X? Maxime, quia continet clausulam efficacissimam destructiuam eorum omnium quæ illi aduersantur, iuxta dicta cit. q. 121. §. Primæ, in hoc sensu, quod in recipiendis conuentibus nouis standum est per Obseruantes Motui Gregoriano contra Bullam Leonis, in eo quod Obseruantes posteriores cedere habent locum digniorem Conuentualibus prius existentibus, siquidem Motus innititur iustitiæ, quæ dictat, vnicuiq; manutenendum esse proprium ius aquisitum, quod non conseruaretur, si Obseruantib. modo faueret ea Bulla Leonis; si enim nunc reciperent nouum conuentum in aliquo loco, in quo Conuentuales essent antiqui, ac proinde priores, quam e.g. Augustiniani, &c. iuxtam Bullam Leonis præcedendo Conuentuales, præferendi etiam essent prædictis posterioribus, quod absurdum est, quia præfati digniorem locum iure merito iam aquisierunt, quibus nec obesse potest Bulla Leonis, cum contra illos nihil disponat, demum id expresse esset contra Motum Gregorianum, qui præscribit præcedentiam fauore prius ingressorum contra posteriores quoscumq; Quod Fratres Minores de Obseruantia afficiantur Motu Gregoriano, nimirum, quod in pręcedentia postponantur alijs ordinibus, qui sunt priores in loco, confirmatur ex Responsionibus S. Congr. apud Tamb. tom. 1. disp. 15. q. 8. num. 12. vbi dicit, quod S.C. declarauit, vt Fratres Minores de Obseruantia iuxta Bullam Gregorianam deberent dare præcedentiam illi ordini, qui prius in loco monasterium habuit. Neque his obstant alię duæ Responsiones, quas ad verbum refert dictus Tambur. ante numerum septimum,

393 prima sub his verbis: *Procurator Generalis Minorum Obseruantium Reformatorum narrans, Fratres Obseruantes Reformatos pati*

controuersiam circa praecedentiam quasi nuper ascitos in ciuitate, cum tamen ingressi sint, & habitent in monasterijs Familiae, ideo supplicauit prouideri; & Sacra Rituum Congr. referente Illustrissimo Cardinali Millino, mandauit dari omnino praecedentiam dictis Reformatis, die 17. Iulij 1627. Secunda ibidem est extensa sub his verbis. *Custos Minorum Obseruantium Reformatorum Salernitanae Ciuitatis conquestus est de Regularibus aliorum Ordinum in dicta ciuitate existentibus, quod recusent dare praecedentiam in publicis processionibus, & funeralibus, Fratribus Reformatis sui Ordinis, quotiescumq; dicti Reformati non incedunt cum Familia Minorum obseruantium. Quod cum sit contra Bullam Clementis VIII. incip.* Ex iniuncto nobis *sub die 7. Settembris 1602. supplicauit prouideri. Et S. Rituum Congr. respondit, praecedentiam semper dandam esse Fratribus supradictis Reformatis, siue soli de per se, & sub propria Cruce, siue cum Familia, & sub Cruce Minorum Obseruantium processionaliter, siue in funeribus incedant, & ita vbique seruari mandauit, die 10. Decembris 1629.* Ratio praedictorum est, quia quo ad ius praecedentiae non separantur à Fratribus de Familia, sed semper, & vbique eamdem conseruant praecedentiam. Vide infra q. 239. Quare si ex aliqua ciuitate depellantur Fratres de Familia, & in eorum locum introducantur Reformati, isti continuant eamdem praecedentiam, quam tenebant Fratres de Familia respectu aliorum Ordinum. Si tamen Reformati nouum recipiant Conuentum non sunt praeferendi, sed vltimum tenent locum iuxta dispositionem Bullae Gregorianae. Quando Reformati incipiunt in aliquo loco erigere propriam Crucem, cum antea irent simul cum Fratribus de Familia, retinent praecedentiam coniunctam cum suis de Familia ex secunda declaratione; quod non obstat mox supradicto, cum intelligatur de eleuatione propriae Crucis simul cum receptione noui conuentus. Neque comparandi sunt Capucinis, nam isti non poterant erigere Crucem, in quo priuilegiati fuerunt à Paulo V. felicis memoriae. Reformati vero cum in Ritibus, & priuilegijs non sint diuersi à Fratribus de Familia semper habuerunt ius erigendi Crucem.

394 Vrbanus VIII. in sua Bulla incip. *Inter grauissimas* data 23. Aug. 1634. declarat nonnulla circa praecedentiam inter Fratres Reformatos S. Francisci, iuxta infrascriptam eius Bullam.

Inter

Inter grauissimas, & multiplices Apostolicæ seruitutis curas in eam peculiari solicitudine incumbimus, vt Religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui, diuini Numinis obsequijs se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis, ac sanctitate, & iustitia coram ipso. Hinc est, quod nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Obseruantia Reformatorum nuncupatorum statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra harum serie statuimus, atq; præcipimus, & mandamus, quod de cætero inter eosdem Fratres Minores S. Francisci de Obseruantia Reformatos nuncupatos, nonnullis illorum ius præcedendi, siue honoratioris loci competat, nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministris Prouincialibus, Commissarijs, & Vicarijs Prouincialibus, si fuerint ex Reformatis, Custodibus Reformationum, Commissarijs Visitatoribus, Guardianis, Præsidentibus, siue Commissarijs, & Vicarijs localibus. Qui tamen expletis eorum officijs ad locum, & præcedentiam ordinis redibunt, tam ij qui iam habitum per dictos Fratres Reformatos gestari solitum susceperunt, & de cætero suscipient, quam hi, qui se à Fratribus de Obseruantia ad Fratres Reformatos huiusmodi canonice transtulerunt, & transferent: exceptis tamen ijs, qui officio Ministri Generalis, seu Commissarij Generalis Cismontanæ familiæ functi sunt, vel fungentur, qui post superiores actuales immediate locum habeant. Decernentes præsentes literas perpetuo validas, &c.

Prædicta Bulla in nullo præiudicat Minoribus de Familia, vt aiunt, quia ad ipsos non dirigitur sed tantum ad Reformatos; verum quidem est, si transeant ad Reformatos, debent præcedere iuxta tenorem huius Bullæ, vt id in ea exprimitur. Reformati superiores, finito officio redeunt ad locum, & præcedentiam ordinis, hoc est, regulando illam secundum tempus suę professionis, à qua oritur ius pręcedendi, id enim est redire ad locum ordinis.

Quæres 125. An Procurator Generalis Minorum Sancti Francisci Obseruantię præferatur Procuratori Generali Conuentualium eiusdem Ordinis?

395 ℞. Pręfertur in Capella Pontificia, vt decisum fuit à Sacra Congreg. Rituum in Romana die 25. Ianuarij 1602. ex Sellio in

Selectis

Selectis cap.26.num.19.Barbosa in decis. Apostol. Collect.610. n.6.Tambur.tom. 1.disp.25.q.8. num.13.Forsan ista præcedentia fundatur in Bulla Leonis X. de qua in præced. q. quæ licet loquatur in ordine ad actus processionales cum cruce, vt in ea expresse dicitur, tamen extensa fuit per vsum illorum de Obseruantia etiam ad alios actus, consequenter ad hunc, præcedendi in capella Pontificia. Hæc autem declaratio non prodest in alijs actibus, cum restringatur ad mansionem in Capella Sanctissimi, vti quid odiosum; vnde in reliquis locis seruatur Bulla Gregoriana, vt decisum refert Sellius cit. cap. 26. num. 22. & ex ipso Barbosa cit.Collect.610. Decis. Apostolic.num.6.

Quæres 126. Qualem præcedentiam habeant Tertiarij Regulares S. Francisci, cuius ego institutum Dei gratia sequor?

396 ℞. Tertiarij quo ad præcedentiam attenta approbatione, & eleuatione sui ordinis in Religionem, præferendi sunt institutis, & approbatis post annum 1300. quia iste ordo probatur à me eleuatus in Religionem circa annum 1300.vt apparet tom.2.Resolut. 87. Quo ad Processiones seruatur Bulla Gregoriana, vt in loco præferantur ijs, qui post ipsos conuentum receperunt, vt lite orta inter ipsos, & Minores de Obseruantia, decisum fuit pluries à Sacra Congreg.Rituum in causa Montis Feltri 3. Octobris 1613. item Consentina .i. Martij 1614. Item in Terracinensi 3. Septembris 1614. Item in Rossanensi Terræ Nouæ 14.Februarij 1615. Item in Agrigentina Terræ Mari 4. Aprilis 1615. Item in Melitensi 15. Iulij 1617. Item in Spoletana 8. Augusti 1618. Item in Oritana Terræ Frettæ 28. Septembris 1619.& in Tudertina Terræ Altaris 1620. Prædictas Declarationes ex Aldano refert Barbosa in Decis.Apostol.v. Præcedentia num.23. Tamb. tom.1. disp. 26.q. 8.num. 11. Lucerna Regular. v.Præced.num. 13. Quare si in hoc casu Tertiarij preferuntur Minoribus de Obseruantia,quorum Generali,& Ministris Prouincialibus tempore Pij V. subiecti erant, à fortiori præferuntur regularibus aliorum Ordinum,qui post ipsos conuentum in loco receperunt.

Quæres 127. De præcedentia Capucinorum cum alijs Regularibus?

397 ℞. Capucini postponuntur cæteris Franciscanis, exceptis Reformatis Franciscanis, si quo modo inueniuntur, tam quo ad appro-

approbationem, quam quo ad erectionem Crucis, & in Processionibus.

Primum quo ad approbationem constat, quia eorum institutio approbata fuit à Clemente VIII. Bulla incip. *Religionis Zelus.* Nonis Iulij 1528. opera F. Matthæi Bassij Minorum de Obseruantia, vt dixi, supra sub q. 104. num. 348. Cæteri Franciscani, Conuentuales quidem ab initio, seu ab anno 1244. à quo etiam cæperunt Obseruantes, prout ab illis contra distincti. Reformati Conuentuales à Sixto V. Bulla 68. incip. *Apostolici* 1587. Tertiarij circa annum 1300.

Secundum de erectione Crucis propriæ ostenditur, nimirum illos incæpisse habere ius præcedendi cum alijs à die concessionis sibi factæ erigendi in processionibus propriam Crucem. Id autem factum fuit à Paulo V. Bulla 9. incip. *Pastoralis.* 12. Octobris 1617. Illud autem declarauit S. Congr. Rituum in hæc verba.

Congregatio Sacr. Rituum ad tollendas controuersias, quæ post concessam Fratribus Capucinis propria Crucis erectionem inter Regulares circa præcedentiam in Processionibus, ortæ sunt, censuit, Illustrissimo Millino referente, Capucinos cedere debere digniorem locum ijs Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in processionibus incedebant, antequam ipsi propriam Crucem deferrent. Die Sabbati 23. Martij 1619. Hanc responsionem apud Me authenticam extantem retuli tom. 1. Resolut. 7. num. 138. de qua mentionem faciunt Tamb. tom. 1. disp. 25. q. 8. num. 9. Barbosa in Decis. Apost. v. Fratres Minores. Collect. 386. num. 63. Dicitur in ea. *Antequam ipsi propriam Crucem deferrent.* Quia Capucini non cedunt locum nisi illis, qui in loco ante ipsos erexerant propriam Crucem; vnde si in eodem loco Capucini priores sint quo ad erectionem Crucis, licet posteriores quo ad receptionem conuentus, istis locum non cedunt. Vide sub. num. 392.

Quæres 128. De præcedentia Augustinianorum, de quibus egi supra sub q. 105. num. 349. qui vocantur Eremitani, reducti ad duas classes, nempe ad Conuentuales, & Obseruantes, approbati ab Alex. IV. circa annum 1256. *apud Confect. cap. 6. Rodr. cum suo Compend. Resol.* 123. *num.* 34. sub vna viuendi forma.

398 ℞. Eremitani S. Augustini de iure obtinent tertium locum post Dominicanos, & Franciscanos, vt videre est cap. Vn. de relig. domib.

mib. in 6. §. Sane, cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. & de hoc non est dubitandum, quia iste ordo enumerandi quatuor ordines precipuos Mendicantium in iure, locis citatis hic, & sub n. 351. est omnino inconcussus, & inuariabilis, siquidem post expressionem Predicatorum, & Minorum subijciuntur alij Mendicantes, quod est argumentum validum ad inferendam precedentiam, iuxta dicta sub num. 134. Extat Bulla incip. *Ex iniuncto*, 192. Clem. VIII. qua Prior Generalis dum visitat sui ordinis Congregationem Lombardiæ prefertur omnibus etiam Vicario Generali.

Dices pro Eremitanis, illos esse preferendos ceteris Mendicantibus Predicatoribus, & Minoribus, sunt enim instituti à S. Augustino, cuius regulam profitentur vnde horum institutio precessit Concilium Lateran. celebratum de anno 1215. vt colligitur ex cap. Vn. de relig. domib. in 6. & primus eorum asseritur Gulielmus Dux Aquitaniç de anno 1156. secundus dicitur Ioannes Bonus Mantuanus, qui initium dedit anno 1198. ex quibus cum appareat, Eremitanos extitisse multo tempore ante Prædicatores, quorum institutum incæpit de anno 1205. & Minores, quibus originem dedit S. Franciscus anno 1208. ex dictis q. 104. illis de iure debetur locus super omnes Mendicantes.

399 Respondetur, aliud esse institutionem alicuius Religionis, aliud esse eiusdem approbationem, ab hoc enim secundo desumitur ius præcedentiæ, non ab illo primo; constat autem ordines Prædicatorum, & Minorum approbatos fuisse de anno 1216. Prædicatorum, Minorum vero anno 1224. ex allatis sub q. 104. de Eremitanis vero nihil certi habetur, illorum ordinem fuisse approbatum ante prædictos. Et si concederemus, hunc ordinum immediate institutum fuisse à S. Augustino; quod multi negant probabilius, cum Dux Aquitaniæ ponatur primus ex Eremitis sub Regula S. Augustini, non ideo præferendus est Dominicano, & Franciscano, quia cum sit potior approbatio pontificia, quam episcopalis, præferendi sunt approbati à Summo Pontifice confirmatis præcise ab Episcopo, arg. eorum, quæ dicuntur cap. Per tuas, de maior. quia alia est claritas Solis, alia Stellatum. Quare in iure rationabiliter Eremitani numerantur post Prædicatores, & Minores. Et ex his sufficienter satisfactum fuit ijs, quæ habe

Catal.G.M. part.4.consider.71. vbi Eremitanos præfert Franciscanis, quia dignior est S. Augustinus S. Francisco, tum ex antiquitate, tum ex approbatione eius operum. Sed patet ex dictis præcedentiam non desumi ex institutione, sed ex approbatione, præterquamquod multi tenent, illum ordinem non fuisse institutum à S. Augustino, licet militeat sub illius Regulà, quæ potius Canonicis data fuit, quam Eremitanis.

Quæres 129. De præcedentia Carmelitanorum post Prædicatores, Minores, & Eremitanos supra alios Regulares?

400 ℞. Carmelitani præferuntur cæteris Mendicantib. & Monachis institutis posterius, & id colligitur ex cap. Vn. de relig. domib. vbi inter Mendicantes obtinent quartum locum inconcussum, & inuariabilem.

Dices, iste ordo originem suam ducit ab Elia in Testamento veteri, ergo prȩferendus est cȩteris, & id respectu Mendicantium omniũ docet Catal.G.M.part.4. cõsid.70. nam seruabant Fratres huius ordinis regulam S. Basilij, postmodum vero aliam receperunt ab Alberto Patriarcha Hierusalem circa annum 1171. confirmatam ab Alexandro III. anno 1180. prout refert Barbosa in Decis. Apostol. Collect.366.num.2. ergo cæteris anteponendus est.

℞. Si spectetur prout originatur ab Elia, non potest iste ordo habere rationem vere Religionis proprie acceptæ, quia omnis religio à Christo, & ab Apostolis sumpsit exordiũ, vt testatur Ecclesia in oratione Apostol.29.Iunij; loquẽdo vero de Regula illis data ab

401 Alberto Patriar. constat apud Io: Stephanũ Ferrerium in Vitis Episc. Vercell. promotũ fuisse ad Eccles. Hierosolimitanam anno 1204. & postea scripsisse Regulã Carmelitis, prout ex illo refert Ranutius Picus Parmen. in sua Appẽd. viror. illustr. Parm. fol. 49. vbi vocat illũ Parmensem de Gualterio assumptũ primo ad Episcopatum Bobij, deinde Vercellarum an. 1185. demũ Hierusalem an. 1204. post quod tempus dictauit Regulã, ideo Alexander III. nõ potuit approbare dictã Regul. quia obierat de an. 1181. Quare merito in iure huic ordini tribuitur quartus locus post Prædicatores Min. & Eremit. Quib. non contradicit Lez. huius ordinis professus, dum v. Præced. tom.4.n.7. dicit ordinem Carmelitar. approbatũ fuisse an. 1225. per Honorium III. vbi refert decisum, Fratres huius ordinis præferri Fratrib. S. Mariȩ de Mercede, quia

is

402 is ordo approbatus fuit à Gregorio IX. die 18. Ianuarij 1230. apud Barbosam in Decis. Apostol. collect. 375. num. 2. & super hac præcedentia extat Bulla 95. Clem. VIII. incip. *Decet Romanum*. Hanc eamdem præcedentiam obtinent Discalceati Carmelitæ contra Fratres de Mercede, prout ex alia Bulla eiusdem Clementis incip. *Ad Romanum* 20. Septembris 1604. refert Barbosa collect. 367. num. 15. Id tamen non potest habere locum in processionibus, quia cum nondum accesserint ad illas, ac proinde non erexerint propriam Crucem, non dicuntur habere ius præcedentiæ quo ad hoc super illos.

Quæres 730. De præcedentia Fratrum Seruitarum Beatæ Virginis Mariæ.

403 ℞. Ordo iste postponitur quatuor ordinibus supradictis Prædicatoribus, Minoribus, Eremitanis, & Carmelitis, nam post illos institutus fuit anno 1216. atq; 1233. approbatus à Benedicto IX. Bulla 1. incip. *Dum leuamus* die 11. Februar. 1304. apud Nouum Bullarium tom. 1. vt refert Barbosa in Decis. Apostol. collect. 378. num. 2. Quare inter Mendicantes quartum obtinet locum ex Bulla Pij V. incip. *Romanus Pontifex*, apud Rodriq. Bulla XIX. Pij V. & reliquis præfertur, exceptis Fratribus de Mercede, quorum ordo prius fuit approbatus, vt apparet ex q. 107. superius.

Quæres 131. De præcedentia Fratrum Iesuatorum?

404 ℞. Iesuati instituti à B. Ioanne Columbino Senensi sub Regula S. Augustini, anno 1354. & confirmati à Martino V. Bulla 2. incip. *Pia postulatio*, in Bullario Nouo, anno 1428. postponuntur etiam Seruitis, Tertiarijs, & de Mercede; & pro Minoribus de Obseruantia contra istos Iesuatos extat Declaratio S. Congr. facta in Pisana 4. Septembris 1621. Et ratio est, quia licet Fratres de Obseruantia hic in Italia posteriores sint, quatenus esse cæperunt à F. Paulo de Trincis anno 1388. ex dictis q. 104. ac proinde post institutionem Iesuatorum, non tamen post eorum confirmationem factam anno 1428. prærerquamquod à Reformatione non accipitur ius præcedendi, sed à prima institutione, & confirmatione ordinis; sicut enim per Reformationem non inducitur nouus ordo, sed antiquus restituitur, & reducitur ad pristinam obseruantiam, & rigorem regularem, ex cap. Relatum 7. ne cler. vel monachi, ita neq; per hoc antiquum ius præcedendi ab exordio

dio confirmationis Regulæ aquisitum variatur, sed inuiolatum perseuerat. Igitur per reformationem non perditur ius antiquum præcedentiæ, vt etiam probaui sub num. *360.* & q. *239.*

Quæres 132. De præcedentia Fratrum Minimorum S. Francisci de
405 Paula? Hunc ordinem primo approbauit Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus in sua Constit. incip. *Decet nos ex officio.* sub die vltimo Nouembris 1471. Sixtus IV. in sua Bulla incip. *Iis, quæ piorum locorum.* sub dat. 19. Iunij 1473. mandat Episcopo S. Marci, vt sumpta informatione de concessione à Pyrrho facta F. Francisco, nunc Sancto, & suis alumnis, omnia ab eo concessa approbet, & confirmet auctoritate Apostolica, prout fecit, quæ omnia demum idem Sixtus in sua Bulla incip. *Sedes Apostolica.* sub datum die 27. Maij 1474. De quibus late Peyrinus initio tomi primi Priuileg. Approbatio facta à prædicto Pontifice Romano retrotrahitur ad primo factam per dictum Pyrrhum Archiepiscopum, iuxta doctrinam traditam Bald. in l. 1. C. de testam. manu. Paris. consil. 19. num. 37. quod Ego docui Resolut. *86.*

406 ℞. Minimi, quo ad præcedentiam dependentem ab Approbatione sui ordinis, præferuntur alijs ordinibus, qui fuerunt approbati post diem 30. Nouembris 1471. ac proinde religionibus Clericalibus Theatinorum, Iesuitarum, &c. de quibus q. *106.*

407 Olim orta erat controuersia inter Minimos, & Tertiarios mei Ordinis super præcedentia, in Regno Portugalliæ; Certum autem est Tertiarios esse præferendos Minimis, qui relicto, quod eorum Regula fuerit approbata à Nicolao IV. Bulla incip. *Super montem.* Data 17. Augusti 1289. possent siquidem respondere Minimi, & bene, eam Regulam approbatam fuisse pro Tertiarijs secularibus. Tertius Ordo eleuatus in Religionem primo, si non ante, vt alibi probo, tempore Ioannis XXII. qui in sua Bulla incip. *Altissimo.* Data anno 1324. quam extendo in libello de Antiquitate Religionis Tertij Ordinis S. Francisci, & tom. 2. Resolut. 87. in qua habentur hæc verba. *Institutum à vobis cæptum viuendi sub obedientia sine proprio, & in castitate, vti laudabile, & valde vtile, atq; iuxta voluntatem B. Francisci approbamus, & declaramus non esse contrarium Regulæ.* Idem Pontifex in alia Bulla incip. *Et si Apostolicæ.* Data 22. Februar. 1319. vocat hunc ordinem statum religionis approbatum. Alter Ioannes dictus XXIII. in sua Bulla incip.

incip. *Et si Apostolica.* Data 22. Februar. 1319. vocat hunc ordinem statum religionis approbatum. Alter Ioannes dictus XXIII. in sua Bulla incip. *Personas vacantes.* Data 26 Augusti 1413. confirmat nonnulla statuta, in quibus exprimitur forma Professionis cum tribus votis solemnibus, quæ solent emitti in alijs religionibus. Nicolaus V. ordini huic concedit sacerdotem eiusdem in Generalem hic in Italia, Bulla incip. *Pastoralis officij.* Data 20. Iulij 1447. Et in alia Bulla incip. *Apostolicæ Sedis.* Data 23. Aprilis 1450. confirmando nonnulla statuta, & priuilegia concessa à quodam Ioanne Episcopo Leodiensi, qui electus fuerat de anno 1364. Episcopus 77. in Catalogo Episcoporum illius Catedralis, subiungit hæc verba. *Nec non prædictum ordinem de Pænitentia nuncupatum cum tribus votis substantialibus annexis, & alijs salutaribus obseruantijs approbare, & confirmare, & tamquam ordinem approbatum instituere, dictosq; Fratres religiosos, & ecclesiasticos esse, &c.* Demum Sixtus IV. in sua Bulla incip. *Ad Christi* Data 1. Decembris 1480. decernit, & statuit votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, antea emissum, & quod emittetur in futurum, habere vim voti solemnis, & inducere omnem effectum, quem producit votum solemne aliorum ordinum illis verbis. *Statuimus votum præfatum sic, vt præmittitur emissum, vel quod emittetur in futurum, de cætero habeat vim, & valitudinem voti solemnis.* Nec quis dicat, ab eo die, quo dicta Bulla emanauit, Tertiarios incepisse esse proprie, & vere religiosos, & vt tales approbatos fuisse, ex illa clausula. *De cætero habeat vim voti solemnis.* Ea siquidem dictio *De cætero* importat omne tempus futurum ab illius prolatione, ex Tuscho lit. D. concl. 259. num. 1. Quia respondeo, eam dictionem *De cætero* intelligendam esse de futuro tempore non à die datæ Bullæ, sed à die, quo incæperunt Tertiarj emittere tria vota saltem de licentia, seu approbatione prædecessorum Pontificum, nam Sixtus IV. approbat vt vota solemnia non solum in futurum emittenda, sed etiam emissa ante emanationem dictæ Bullæ ibi: *Votum præfatum emissum.* quod aperte quoq; colligitur ex eadem Bulla, in qua ipsemet Papa ita scribit. *Sane iam dudum accepimus, quod quidam Fratres, & Sorores Tertij Ordinis B. Francisci ex speciali concessione nostra, & prædecessorum nostrorum collegialiter viuentes, post annum probationis, in manibus sui*

Ministri,

Ministri, vel Ministræ, ab eorum Collegio canonice electi, vel electæ vouent, & promittunt obedientiam, paupertatem, & castitatem perpetuam solemniter coram toto suo Collegio. Ex quibus constat Tertium Ordinem multo tempore ante fuisse Religionem presse, & stricte acceptam. Confirmantur prædicta ex dictis initio huius quæstionis, nempe approbationem Pontificiam retrotrahi ad tempus, quo isti Fratres incæperunt emittere professionem solemnem, quam constat emisisse circa annum 1300.

Quæres 133. De præcedentia Regularium, Clericorum, Theatinorum, Barnabitarum, Iesuitarum, & Somaschinorum?

408 ℞. Inter se seruant prædictum ordinem, nam eorum instituta confirmata fuerunt in Religionem, Theatinorum quidem anno 1524. Barnabitarum 1533. Iesuitarum 1540. Somaschinorum 1568. præferuntur igitur quibuscumq; confirmatis post dicta tempora, postponuntur vero reliquis superius expressis. Nulli istorum accedunt ad Processiones, sed exempti sunt ex priuilegijs Pontificijs; est nihilominus certum Summum Pontificem
409 posse illos cogee ad quascumq; processiones, ad quas tenentur accedere cæteri Regulares. Sed in hoc casu quem locum tenent? Supradicti Religiosi, siue coacti à Papa, siue sponte si accederent
410 ad processiones tam publicas, quam priuatas, siue cum cotta, siue sine illa, nulli præferendi ex ijs ordinibus, qui ante illos erexerunt Crucem propriam, quod probatur *Primo*, quia licet se vocent ex instituto clericos, & clericorum secularium reformatores, non ideo tamen sunt clerici seculares, sed regulares, ergo eodem iure cum Regularibus censendi sunt, cum sub eadem communi ratione viuendi cum alijs militent, consequenter inter regulares vltimum locum tenere debent; sicuti enim in fauorabilibus Mendicantes sunt, & eorum priuilegjs gaudent, vt docet Barbosa de Appellationibus verb. Appellat. 147. ita & subiecti esse debent Bullis, quæ loquuntur de præcedentia in Processiobus. *Secunda*, isti religiosi se habent, sicut ille, qui recipitur in collegio, in quo vltimum obtinet locum, secundum iuris regulam. *Qui prior est tempore, potior est iure*, ergo recepti cum alijs antiquioribus in processionibus debent esse contenti vltimo loco. *Tertio*, in prælationibus religiosorum attenditur prioritas institutionis, & approbationis, gl. v. Prædicatorum cap. Quorumdam

24. de elect. in 6. & dixi superius, nam ex prioritate temporis oritur prærogatiua dignitatis, l. Honores ff. de decur. l. fin. C. de Tyron. lib. 12. Canon. in cap. 1. de Maior. sed supradicti clerici regulares vltimi sunt quo ad institutionem, & approbationem, ergo vltimum locum tenere debent. *Quarto*, ius præcedendi est ius honoris, cap. 1. de maior. vnde digniores sunt præferendi, cum hi gradu alios antecedere debeant, quos labor prolixior, & stipendia meliora fecerunt anteire; sed in vinea Domini labores prolixiores, Monachi, & Fratres habent, quam isti clerici, ergo illi præferendi sunt. *Quinto*, clerici seculares præcedunt Regulares licet Canonicos Lateranenses ab Apostolis originem trahentes, quia habent caput Episcopum, à quo clerici vti illius membra non sunt separandi, interpositione Regularium, qui pro suo capite non recognoscunt Episcopum, cum ab eo sint exempti; sed religiosi non solum antiqui, sed etiam moderni non sunt membra Episcopi, sicut neq; antiqui, cum ab eius iurisdictione omnes sint exempti, ac proinde nec illum habeant pro capite, ergo in præcedentia non sunt coniungendi cum clericis. *Sexto*, habemus exêplum in Capucinis, qui à puncto erectionis propriæ Crucis incæperunt habere ius præcedentiæ posterius incedendi cum alijs in processionibus, esto alias incederent sub altera Cruce nimirum Conuentualium, vt patet ex dictis sub num. 378. & 397. à fortiori huiusmodi Regulares sine Scapulari vltimum tenere locum debent, cum antea non possent erigere Crucem, neq; sub aliena incedere. *Septimo*, Canonici de Alga Venetiarum olim erant clerici seculares, tempore Pij V. eleuati in statum religiosum, ex dictis sub num. 357. vt ius antiquum iam quæsitum in processionibus manutenerent obtinuerunt super hac re indultum Pontificium, ita quod respectiue ad præcedentiam retinuerunt respectum clerici secularis; clerici autem Moderni ex suis institutis incæperunt primo esse Regulares, ergo more aliorum Regularium incedere debent in processionibus. *Octauo*, nichil illis prodest, quod dicantur Reformatores Clericorum Secularium, nam, præterquamquod id proprie verum non est, cum clerici seculares in nulla re istis subdantur, etiam Monachi, & Fratres suis prædicationibus, Sacramentorum administrationibus, doctrinis, & bonis exemplis reformant clerum secularem. Demum

incedere

incedere cum cotta, & bireto more clericorum secularium illis non suffragatur, quia id est effugium præripiendi alijs regularibus locum digniorem. Nec quicquam pro eisdem facit exemplum Canonicorum Lateran. cum cotta incedentium, quasi per hoc præferantur Monachis, cum illorum præcedentia potissimum attendatur ex antiquitate sui ordinis, trahentium originem ab Apostolis, iuxta quod dixi supra sub.num.355.§.Quinta difficultas. Confirmatur, quia Regij *Nell'Assegnamento delle giornate, & ordine da tenersi nell'andar processionalmente à visitare la B.V. della Giara dell'anno* 1645. vltimus locus inter Regulares datus fuit Iesuitis, de qua re extat folium impressum.

Pellizar. tract. 8. cap. 6. num. 206. Probat, Clericos Regulares, in casu, quo conuenirent ad processiones cum Monachis, & Fratribus Ordinum Mendicantium, debere præcedere omnes illos immediate incedendo ante Canonicos Regulares, qui cum sint ipsi etiam Clerici, & simul Canonici debent vtiq; præcedere quoscumq; Clericos Regulares non Canonicos, vt pote ipsis superiores ratione gradus, quo sunt insigniti. Tribuit ergo Clericis Regularibus, hoc est Theatinis, Iesuitis, Barnabitis, &c. prçcedentiam fundatam in gradu clericatus, nam Pius IV. hoc titulo clericatus vsus fuit, cum sententiam prçcedentię tulit pro Canonicis Lateranensibus Regularibus contra Monachos S. Benedicti. Et obiectioni, quæ sibi potuisset fieri, nimirum obstare Bullam Clementis VIII. qua honorabiliorem locum concedit Dominicanis, post Canonicos, & Clericos seculares, & antiquos Monachos, supra cæteros tam Mendicantes, quam non Mendicantes posteriores. Respondet, non comprehendere Clericos Regulares, sicut nec Canonicos Regulares S. Augustini; sicque ibi Papa loquitur de Fratribus S. Dominici solum comparatiue ad ordines Monachales minus antiquos, & Fratres ordinum Mendicantium.

412 Ego autem sum in ea opinione, immo sententia, quod Clerici Regulares, casu quo ad processiones cogerentur, ex quo sunt exempti, nouissimum obtinerent locum, non obstante eorum asserto clericatu. Probatur primo ex allatis rationibus. Secundo respondendo obiectis, nam clericatus etiam in Mendicantibus reperitur non secus ac in Clericis huiusmodi, qui in præce-

denti seculo apparuerunt in mundo, nam clericatus coæuus fuit ordinibus Mendicantium, quorum Patres, & institutores clerici sunt, vt notum est, nam Sanctus Dominicus fuit Canonicus Regularis Oxomensis, ac proinde clericatum induxit in suum ordinem, nō secus ac S. Ignatius in suum, qui fuit Presbiter, & Doctor Parisinus; quorum vterq; ordo institutus fuit sub vita contemplatiua, & actiua in ordine ad salutem fidelium. Pariter eodem fine S. Franciscus clericus Diaconus suum instituit ordinem, quem vocauit ex humilitate Minorum; idem dic de reliquis, quibus clericatus fuit intrinsecus, & coæuus, licet hoc titulo non fuerint decorati, sed alijs, vt ordo Sancti Dominici cohonestatus fuit nomine Prædicatorum à fine principali, quem Sanctus intendit, ordo Sancti Francisci Minorum propter summam humilitatem, quæ in eo semper viguit, qui tituli non repugnant clericatui, immo maximam inter se cognationem habent, nam officium clerici est prædicare verbū Dei, & in humilitate se exercere, imitando Christum, qui virtutem humilitatis verbis, & factis docuit. Ex eo ergo, quod isti ordines moderni præcedenti seculo excitati pro salute fidelium insigniti fuerunt ex vsu titulo Clericatus, non sequitur præferendos esse cæteris Mendicantibus, præsertim cum ipsi sint Mendicantes, consequenter legibus, & iuribus Mendicantium iudicandi sunt, & nouissimum locum tenere debent attenta eorum origine, per hoc enim illis non fit iniuria, sed iure suo probantur inter alios Regulares.

Nec verum est, Pium Quartum tulisse sententiam fauore Canonicorum Lateranensium contra Monachos Casinenses ex causa clericatus prçcise, aut potissimum, sed principaliter, quia clerici sunt suam trahentes originem ab Apostolis, vt dicitur in Bulla 75. §. 3. eiusdem Pontificis, ac proinde vti priores origine Monachis prçferendi sunt eisdem, quorum prçcedentia corroboratur per titulum clericatus. eisdem coæui, accessorium vero Monachis, qui nati fuerant sine illo gradu, ad quem postea eleuati fuerunt priuilegijs Pontificijs. Et hoc non poterat nocere ipsis Monachis, quod essent clerici ex priuilegio, & non nati sicut Canonici, nam priuilegiatus ciuis æque gaudet

honoribus,

honoribus, iuribus, & prærogatiuis, ac natus ciuis ex allegatis à Pasqual. q. 18. Tempore controuersiæ Monachi erant clerici sicut Canonici, ergo cum in hoc essent pares ex clericatu ius præcedentiæ potissimum colligi non poterat pro vna parte contra aliam, sed iure merito ab origine religionis acceptum fuit.

Ad Bullam Clemētis VIII. quam sibi obiecit, respondeo, in ea Pontificem Romanum loqui de præcedentia Prædicatorum supra Monachos, Canonicos, & Mendicantes origine posteriores ipsis Dominicanis, habentur enim hæc verba: *Post Canonicos, & Clericos seculares, & antiquos ordines Monachales dicti Fratres Ordinis Prædicatorum primum locum obtineant, post quos omnes alij Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes, cuiuscumq; Ordinis, vel Religionis existant, incedent.* Dominicani ergo præferendi sunt omnibus Mendicantibus, ergo etiam Clericis istis, qui Mendicantes sunt. Deinde præferendi sunt non Mendicantibus posterioribus, ergo à fortiori istis clericis, qui postponuntur Monachis, & Canonicis omnibus. Insuper in hac Bulla Clerici seculares præcedunt Dominicanos, hoc ipso, quod expresse excipiuntur, ergo excluduntur clerici regulares, ex illo communi axiomate, quod exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. De præfata Bulla redibit sermo infra sub q. 139. num. 426.

Quæres 134. Quem locum habeant Fratres Hospitalitatis B. Ioannis Dei Lusitani? Apud nos vocantur *Fate bene fratelli*.

414 ℞. Quo ad approbationem, & eleuationem huius ordinis in statum regularem sub Pio V. Bulla 143. incip. *Licet ex debito*, de anno 1572. antea instituti à dicto B. Ioanne de anno 1538. posterior est supradictis omnibus ordinibus. Quoad processiones, præcedentiam inter Religiosos incæperunt habere à prædicto tempore 1572. quo declarati fuerunt Religiosi, prout ordinauit Vrbanus VIII. Bulla 76. incip. *Commissi*, 26. Nouembris 1627. Intellige tamen, quod si deinceps recipiant nouum conuentum in aliquo loco præferantur quibuscumq; alijs posterioribus in loco; nam Decretum Congreg. autenticatum per dictam Bullam intelligitur de conuentibus antiquis.

Quæres 135. Quem locum teneant portantes Reliquias in processionibus?

415 ℞. Aliquando in Processionibus vnaquæq; religio portat suam

Reliquiam, & tunc tenent locum digniorem in ordine suo; interdum Reliquiæ in loco digniori ab omnibus deferuntur gradatim secundum exigentiam sui ordinis in Processione simul incedentibus, reliquis vero religiosis incedentibus suis locis, & sub propria Cruce; & ita intelligitur Responsio data à Sacra Congr. Rituum in vna Senogall. montis Bodij 24. Septembris 1605. & 19. Aprilis 1608. & 23. Ianuarij 1610. apud Ricciul. lib. 1. eccles. Lucubr. cap. 42. fine, apud Barbosam in Decis. Apostol. collect. 643. num. 8. & Collect. 646. num. 9. vbi dicitur, quod Regulares non possunt prætendere precedentiam, & locum digniorem, quando eorum Prior defert Reliquiam, sed debent locum cedere clero seculari; itaq; delatio Reliquię etiam per superiorem non dat ius toti corpori, nec parti conuentus incedendi in loco honoratiori.

Quæres 136. An Regulares sub vnica Cruce, vel alias incedere possint permixtim cum Clericis, vel habere aliquando locum digniorem supra illos?

416 ℞. Religiosus Parochus incedit permixtim cum reliquis Parochis iuxta vsum loci; ex hoc tamen capite Regulares non possunt prætendere præcedentiam super vnum Parochum Regularem, quando inter alios Parochos præcedit in processionibus, refert ex Sellio. decisum Barbosa in decis. Apostol. collect. 643. num. 8. Itaque Parochus Regularis sub Cruce Parochorum, vel alias cum parochis incedit, in loco sibi conuenienti vt Parocho, & non attenditur ratio regularis. Et si e.g. Parochus ex ordine Minorum incedit sub Cruce Parochorum, ideo Cruci Prædicatorum non debetur locus dignior supra Crucem Parochorum, quia Clerus semper præfertur regularitati in processionibus, vt notum est; & Crux, à qua regulatur precedentia semper est clericorum secularium, esto, quod maior pars Curatorum constaret ex Religiosis.

Quæres 137. An Canonici Regulares, seu etiam Clerici Seculares pretextu precedentię possint impedire, ne Regulares Parochi incedant sub Cruce Parochorum?

417 ℞. Non possunt, quia id illis non preiudicat in aliquo, cum talis incessus ab illis non fiat, vt sunt religiosi sed quatenus Parochi, quod colligitur ex dictis in precedenti quæstione, dum diximus Regulares non posse pretendere precedentiam super vnicum

cle-

clericum regularem parochum, dum inter alios parochos procedit. Quod intelligitur etiam respectu alterius Crucis clericorum, qui locum tenerent inferiorem, quia in his non attenditur ratio personę, sed Parochianatus, qui præfertur.

418 An Parochi Regulares cogi possint ad processiones sub Cruce Parochorum, vel Clericorum? ℟. Non, quia Episcopo subduntur Religiosi. vt spectantur sub communi ratione conuentus, non vt Parochi in ordine ad Processiones, quæ non sunt de ratione Parochiæ, ita quod quando connentus incedit, cogi non potest Curatus regularis incedere sub Cruce Parochorum.

Queres 138. In quęrendis elemosinis quis pręcedat inter Mendicantes?

419 ℟. Qui prius in loco habet conuentum, nam huius Fratres ex prioritate temporis, & seruitijs spiritualibus impertitis ius habent potius, & melius, vt illis succurratur celerius, quam alijs, qui postremo cęperunt inseruire. Ex Aldano lib. 3. in compend. Canonic. resolut. tit. 6. num. 15. Barbosa in Decis. Apostol. collect. 590. num. 25.

Queres 139. Qualis ordo pręcedentię seruandus sit inter disputandum, & in Concionibus?

420 ℟. Regulares pręferuntur quibuscumq; secularibus tam clericis, seu publicis etiam Lectoribus, Doctoribus, aut Magistris. Regulares vero inter se pręferuntur secundum antiquam approbationem religionum, vnde primum locum tenere debent Canonici Regulares Lateranenses, deinde Monachi approbati ante Mendicantes; deinde Dominicani, Franciscani, Eremitani, & Carmelitę, ceteriq; subsequenter iuxta approbationem, & confirmationem factam à Sede suorum ordinum.

Probatur hæc conclusio generaliter ex illo naturali, canonico, & legali axiomate, quod qui prior est tempore, potior est iure, de qua egi sub q. 35. adęo efficax est argumentum à prioritate institutionis, vt hæc attendatur etiam pro reuersis, nam l. 2. ff. decur. ibi: *Restitutus tamen in ordinem, vtrum eum ordinem retineat, quem primum habuit? An vero quem nunc nactus est, quæri potest? Et si forte de ordine sententiarum dicendarum agatur, arbitror tamen eundem ordinem tenere, quem pridem habuerit.* Vnde Geminian. in cap. Quorundam §. Volentes, de elect. in 6. Rota par. 2. Recent. decis.

 28.

28 & par. 4. decis. 18. Gratian. cap. 893. num. 29. Valenz. tom. 1. consil. 1. num. 21. 30. & 64. ab antiquitate approbationis ordinis accipiunt præcedentiam inter ipsos religiosos; & rationabiliter, nam præcedentia non est attendenda comparatione meritorum, sed ordinum approbatione, ex eodem Gemin. in cap. Quamuis §. Quamquam, de præbend. in 6. Decian. in cap. 2. de re iudic. Felin. in cap. Postulasti, de rescr. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1. num. 29. ne ergo quis in superbiam elatus incidat in laqueum diaboli, præferendus est alteri, attenta prioritate temporis approbati ordinis, ab hoc enim desumitur ius præcedentiæ, in quo nulla potest esse suspicio ambitionis, quam aliunde sit, quam à meritis; sicut ergo ab initio religionum præcedentia regulata fuit ab antiquitate religionum, ita nunc idem seruandum est non solum religiosorum inter se, sed etiam cum alijs, cum recte ab hoc fundamento practicetur exercitium præcedendi quolibet modo; nam Religiosi præferuntur laicis, & clericis ordine institutionis, vt mox patebit, & ipsi regulares inter se ex eodem ordine institutionis, & approbationis ordinum eorundem. Confirmatur id, arguendo ab effectu ad causam, nam exercitium præcedentiæ in disputationibus regulatur hoc modo, vt laici postponantur clericis, & isti religiosis, regulares vero prædicti præferuntur, & inter se ipsos seruant ordinem approbationis, vt manifestum est, & in pacifica possessione sunt Mendicantes hoc ordine, Prædicatores, Minores, Augustiniani, & Carmelitæ, non alia ratione, nisi quia hoc ordine instituti fuerunt ordines ab ecclesia, alia enim ratio assignabilis non est, quę non patiatur difficultatem, vt infra magis patebit. Probatur ergo disputandi ordo præcedentiæ à prioritate institutionis.

421 Prima ergo pars, quod ecclesiastici præferantur laicis quibuscumq; probatur. Quia clericatus prius est, quam laicatus in ecclesia prioritate temporis, & dignitatis, sumpto argumento à Christo Domino, qui ecclesiam suam, sanguine suo fundauit, natus est clericus & sacerdos à Patre institutus secundum ordinem Melchisedech, ad Hebr. 5. 6. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et infra 10. *Appellatus à Deo Pontifex*. D. Thomas part. 3. q. 22. per totam. *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus eius*. Ergo clerici priores institutione

à Christo

à Chrifto Domino primo facerdote,& capite ecclefiæ, præferēdi funt laicis vti pofterioribus. Ex quo patet etiam prioritas dignitatis, nam ecclefiaftici ratione clericatus habent adiunctum gradum diguitatis, quo carent laici, vt laici funt, cap.1.dift.16.fine, cap. Quis dubitet 11. dift. 96.cap. Duo funt 7. 12.q.1. Præterea inter clericos, & laicos ea eft differentia,quod clerici funt proximiores Chrifto,cui magis affimilantur propter clericatum,& minifterium circa obfequia fpiritualia; laici vero funt membra non ita proximiora, cum nihil prędictorum participent, ideo funt membra minus principalia. Adde,quod inter laicos pauci funt, qui ab hęrefibus defendant ecclefiam, multi vero, immo omnes fere ecclefiaftici ecclefiam tuentur ab incurfibus inimicorum, & hęreticorum chriftiani nominis hoftium. Patet ergo ex dictis, clericos tam regulares, quam feculares pręferri in difputationibus laicis ex prioritate inftitutionis vtriufq;ftatus. Adde, quod incongruum eft, quod regulares fupponantur laicis, cap. Dilectus 2. de capellis monach.

Secunda pars, quod Regulares fint præferendi clericis fecularibus, probatur eodem fundamento, quia in rerum natura prius eft cle-
422 ricatus regularis, quam fecularis, vt multis probaui fupra fub q.99.num. 338. ergo pręferendi funt clericis fecularibus. Confirmatur id ex vfu, & praxi,nam arguente in digniori loco aliquo clerico feculari,ei nullus fupponitur religiofus. Tum quia in ftudijs vniuerfe follicitiores funt religiofi fecularibus, & ecclefia magis illuftratur difciplinis, & doctrinis regularium (fit dictum pace illorum,qui & ipfi in vinea Domini proficiunt) quam fecularium,merito igitur religiofi in difputationibus pręferuntur clericis. Ad quod facit l. Nemo 2. ff. de offic.magr. officiorum,vbi dicitur,quod is gradu cęteros antecedat, quem ftipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire; prolixior autem labor in ftudijs fine dubio eft in religiofis etiam ab ineunte ecclefia vfq; ad noftra tempora, ergo regulares ex hoc capite pręferendi funt clericis. Facit, quod mox dicam de Canonicis Regularibus Lateranenfibus ex Pio V. ratione clericatus regularis, ex cuius antiquitate in ipfis pręferendi effent clericis fecularibus, fi effent Epifcoporum membra in actu, vt funt clerici feculares.

423

423 Tertia pars, quod Lateranenses cæteris Regularibus præferantur in Disputationibus, probatur aduersus Monachos Casinenses ex allata sententia, & Bulla 75. Pij IV. relata superius sub num. 353. illis verbis: *In processionibus, & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis.* Propositio est vniuersalis de omnibus alijs actibus, præter processiones, ergo includit etiam actus Disputationum, qui enim omne dicit nihil excludit, l. Iulianus 66. ff. de legatis 3. Nota dictionem *Alius* quæ comprehendit actus diuersos ab expressis, per allegata à Barbosa dict. hac 26. num. 15. & 16. Socinus consil. 300. sub num. 2. §. Tertio principaliter, Natta consil. 546. num. 2. Menoch. consil. 335. num. 18. Rota decis. 254. num. 2. par. 1. Giurba consil. 99. num. 30. importat ergo diuersa ab expressis, ex iuribus, & doctoribus alijs citatis ab eodem Barbosa num. 17. ac proinde non solum comprehendit actus spectantes ad processiones, sed etiam ad alias actiones, ac proinde Disputationes; quamuis enim dictio *Alius* restringitur ad similia, fallit tamen, quando habet adiunctum signum vniuersale, vt hic Gozadin. consil. 6. num. 43. Crescentius decis. 32. adeo quod apta est comprehendere omnia in infinitum, Domin. consil. 13. num. 2. maxime quando non adiungitur termino restrictiuo, Staphil. de liter. grat. fol. 252. num. 10.

Probatur quoq; contra alios Regulares quoscumq; ex Bulla 116. Pij V. incip. *Cum ex ordinum* vbi Papa §. 1. ait, hos Canonicos, qui ab Apostolis originem traxerunt, *merito prætendere posse, se omnes alias personas ecclesiasticas, tam seculares, quam regulares in processionibus, & alijs actibus publicis præcedere debere*, cum tamen *non liceat, membra à capite separare, sed tamen eis locum debitum assignare motu proprio, ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine, omnes, & singulos Canonicos prædictos, vbicumq; locorum existentes, quos deinceps processionibus, & alijs actibus publicis, vel priuatis interesse contigerit, statim ipsum clerum secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt, dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate sequi debere, &c.* Præcedentia horum Canonicorum *in processionibus, & alijs actibus publicis, vel priuatis*, quibus verbis comprehenditur etiam Disputatio, ex supradictis, semper fundatur in antiquitate institutionis sui ordinis, & clericatus ab Apostolis, ergo etiam in Disputationibus præferendi

rendi sunt quibuscumq; alijs regularibus, nam id exercitium virtutis Disputationum agunt vti Regulares Canonici Ordinis Lateranensis, & pro talibus ab omnib. habendi sunt. Et quod agatur præter processiones de præcedentia respectu aliorum actuum dissimilium, præter quod colligitur ex allegatis supra, probatur per illam clausulam: *Omnes, & singulos* quę refertur ad omnes simul acceptos, & etiam singulariter consideratos, Bald. consil. 461. num. 6. Decius consil. 512. num. 6. Decian. vol. 2. consil. 64. num. 39. cum eis Marta par. 1. class. 87. num. 2. sed in Disputationibus considerantur singulariter, ergo is actus disputationis comprehenditur sub hac Bulla.

424 Quarta pars, quod Monachi Casinenses, & alij priores institutione existentes ante Mendicantes, præferantur in Disputationibus cæteris posterioribus Mendicantibus, & non Mendicantibus, probatur tum ex eo communi principio, quod qui prior est tempore, potior est iure; sed Casinensis ordo inter Monachales, excepto ordine B. Basilij, est primus à S. Benedicto institutus, de quo sub num. 347. ergo præferendi sunt eius monachi cæteris posterioribus hoc iure potiori, quo nititur eorum præcedentia in omnibus actibus. Tum quia Casinenses in omnibus actibus præferuntur Dominicanis, vt patet infra ex Bulla Clementis VIII. ergo & cæteris Mendicantibus, valet hæc consequentia ex illo axiomate: Si vinco te, multo magis vinco victos à te, l. De accessionibus 14. ff. de diuersis, & temporal. prescript. Surd. consil. 125. num. 14. Barbosa Vaz de locis commun. lit. V. num. 57. Casinenses enim vincunt titulo præcedentiæ Dominicanos, ergo à fortiori vicunt eadem causa cæteros Mendicantes, qui vincuntur à Dominicanis.

425 Quinta pars, quod professores quatuor ordinum Mendicantium præferantur in Disputationibus cæteris quibuscumq; & inter se eo ordine, probatur de ordine pręcedentiæ inter se, nam quandocumq; & ex quacumq; causa in iure communi nominantur, & ordinãtur sic: Prædicatores, Minores, Eremitani, & Carmelitæ, ergo de iure communi in Disputationibus quoq; prædictum ordinem præcedentiæ seruare debent. Consequentia ab ordine literæ valet, & efficax est ex probatis q. 36. num. 134. Confirmatur id, quia ita practicatur inter ipsos sine vlla discrepantia, vt apparet

apparet in concursu Disputationum, nam primum locum obtinent Dominicani, Medium Minores, Tertium Augustiniani; primum Franciscani, secundum Augustiniani, Tertium Carmelitæ, & sic gradatim procedunt. Ab hoc effectu, vt superius dictum fuit, tamquam certo, & firmato deducitur à posteriori eius causa, fundata in approbatione prædictorum quatuor ordinum Mendicantium, qui dicuntur principales inter alios, prędicto ordine approbatorum à Sede Apostolica.

426 De pręcedentia Prędicatorum dictum fuit supra q. 120. num. 366. & 367. ex Pio V. respectu aliorum omnium Mendicantium illis verbis: *Tam in Sessionibus, & Congregationibus quorumcumq; Generalium, Prouincialium, & Synodalium Conciliorum, quam processionibus, ministerijs, & alijs actibus publicis, vel priuatis.* Quod in dictis verbis comprehendantur actus Disputationis, omnino certum est, tum quia mentio fit de Sessionibus, & Disputationes fiunt sedendo, & distinguit sessiones à Congregationibus. Tum etiam quia in Congregationibus disputatur, vt constat. Tum quia si in præcedentibus verbis Disputationes non comprehenduntur, bene continentur sub sequentibus verbis, exercitium enim in Disputationibus vocari potest ministerium, & actus publicus, cum solemniter celebrentur coram omnibus.

Horum præcedentiam in Regnis Arragoniæ ampliauit Clem. VIII. Bulla 13. cuius verba retuli sub q. 120. dicto num. 367. quæ ad nostrum propositum sunt hæc: *Videlicet, quod in omnibus actibus & processionibus, tam publicis, quam priuatis post Canonicos, & clericos seculares, & antiquos ordines Monachales, si qui incesserint dicti F. ordinis Prædicatorum primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant.* Quamuis hic sermo sit principaliter de processionibus, tamen agitur etiam de alijs actibus, vt clarum est ex illis verbis: *In omnibus actibus, & processionibus* iuxta explicationem supra datam, & copulatiua intercedit inter diuersa, gl. in Rubr. de iuris, & facti ignor. Gl. v. Vel electio cap. 2. de elect. extr. Ioan. XXII. & dictum de vno intelligitur de altero copulato per eam dictionem, Menoch. consil. 56. num. 35. Cenedus singul. 50. num. 8. Rubeus decis. 217. num. 4. sub illis verbis *omnibus actibus* veniunt etiam actus Disputationis, & non tantum processiones.

427 Dices primo, ordo Eremitarum S. Augustini est prius institu-

tus,

tus, & etiam approbatus per Sedem Apostolicam, ordine Prædicatorum ac proinde alijs Mendicantibus, nam id supponitur in cap. Vn. de relig. domibus in 6. & Gulielmitæ à Gulielmo Duce Aquitaniæ instituti fuerunt anno 1156. multo tempore ante Prædicatores, quorum institutum fuit approbatum anno 1216. Minorum 1224. Carmelitarum 1226. Non ergo attenditur in Disputationibus in præcedendo tempus approbationis ordinis, alias Eremitani essent præferendi, & tamen tertium obtinent locum, ergo aliunde accipitur ius præcedendi in his actibus.

℞. Quamuis ex institutione fuerit aliqua Congregatio sub nomine Eremitarum, tamen nondum erant in vnum congregati, nam Alex. IV. Bulla 6. incip. *Licet*, anno 1256. diuersas Congregationes vniuit sub denominatione Fratrum Eremitarum S. Augustini, cum Regula, & vniformi habitus delatione. Vnde mirum non est si in iure communi eis præferuntur ordine literæ Prædicatores, & Minores, quorum ordines perfecte stabiliti erant cum Regulis, & vnione sub eodem capite, sub quo nondum conuenerant Eremitani. Neque verum est, quod in cap. Vn. de relig. domibus fiat mentio de approbatione formali huius ordinis, sed tantum de institutione. Adde, quod Congregatio ex Gulielmo Duce Aquitaniæ instituta ab eo anno 1156. non fuit sub Regula S. Augustini, sed S. Benedicti ex Bulla Alex. apud Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 4. num. 37. Regulam autem S. Augustini non habuerunt nisi de anno 1245. ab Innocentio IV. Bulla relata ab eodem Tamburino, vnde subsequenter in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. vocati fuerunt Fratres Eremitani S. Augustini, eo quod illius Sancti Regulam receperunt, & sic denominantur eo cap. Vn. de relig. domibus in 6. quod est Concilij prædicti decretum.

Dices secundo, præcedentiam inter disputandum accipiendam esse ab erectione Scholæ, quæ sunt quatuor, sicut quatuor
428 sunt ordines Mendicantium principaliores. *Prima* Diui Thomæ ab eo dicta Thomistarum in eius honorem erecta post eius mortem, quæ contingit anno 1270. ratione cuius eius alumni professione religionis, & doctrinæ tamquam discipuli ex linea recta merentur primũ, & honorabiliorẽ locum in Disputationib.

Secunda est Scotistarum à Ioanne Ciuitatis Dunsij Hibernate, cognomine Scoto, professione Minorum S. Francisci, qui obijt anno 1308. veneratur inter beatos Coloniæ apud Martyrologium Franciscanum ad 8. Nouembris, qui sui ordinis insignes habuit Sectatores, & commentatores suorum operum, quos enumerat Lucas Vadingus pater ordinis eiusdem doctissimus, in opere Scriptorum Ordinum Minorum. *Tertia* Scola dicitur Ægidiana ab Ægidio Columna, natione Romano, ex nobilissima Columnorum familia, professione Eremitano, Augustiniano, qui obijt anno 1299. suos habet Sectatores, vt huius ordinis professores testantur. *Quarta* Schola est Bacchoniana à Ioanne de Baccone Anglico Doctore, qui floruit circa annos 1346. ad 1350. vt collegi ex Bibliotheca Carmelitarum ordinis fol. 38. & 39.

Est autem differentia inter has Scholas in eo, quod Thomistica, & Scotistica sunt celebriores non solum ab Auctoribus suis, sed etiam à Sectatoribus, & Commentatoribus non solum proprijs, sed etiam extraneis, nam in Theologia fere omnes religiones sequuntur doctrinam D. Thomæ; Scotum in Philosophia, & etiam in Theologia ex parte sectantur plerique tum ex antiquis, tum ex modernis; quod reliquorum duorum Scoliorum non inuenio sectatores extraneos. Ex quibus infertur, religiosos quorumcumq; aliorum ordinum etiam Canonicorum, & Monachalium debere cedere locum digniorem Dominicanis, & Minoribus, tamquam discipulos supernumerarios, & extraneos, dum S. Thomæ præsertim doctrinam profitentur.

℟. Hoc argumentum, si aliquid probat, vim suam habere respectu ipsorum quatuor ordinum Mendicantinm, vt inter disputandum seruent præfatum ordinem suarum Scholarum tamquam earum alumni necessarj, respectu vero extraneorum non valere argumentum, *Primo* quidem loquendo de Canonicis Regularibus Lateranensibus, argumentum hoc à prioritate Scholæ illis non nocet, quia Scholam habent celebriorem, & antiquiorem Sorbonicam à Petro Lombardo Magistro Sententiarum professione Canonico Lateranensi teste Ioanne de Nigraualle Apostolico Bibliotecario in suo opusculo in laudem huius Ordinis Venetijs impresso 1536. sub tit. Nomina Doctorum, &c. nam in ea Schola exponitur Magister sententiarum, quem viri insignes omnium

religionum

religionum commentati sunt, & in specie Auctores S. Thomas, Scotus, Ægidius, & Bacchonus capita prædictarum quatuor Scholarum Mendicantium super quatuor sententiarum scripserunt. Quare si titulo Scholæ præferendi sunt Disputatores, certe honorabiliorem locum habere debent Canonici Lateranenses & ex prioritate erectionis, & celebritatis, & ex prioritate sui ordinis ab Apostolis instituti, & confirmati. *Secundo* Monachis institutione, & confirmatione prioribus debetur huiusmodi præcedentia aduersus Mendicantes, & si enim ab exordio suæ institutionis officium illorum fuit non docentis, sed plangentis cap. Monachus 4. 16. q. 1. ex quo ad officia ecclesiastica, quæ studium, & doctrinam requirebant pro instructione fidelium, non admittebantur, cap. Placuit 8. 16. q. 1. postea tamen in his fuerunt priuilegiati, multo tempore ante Mendicantium ordines, & in multis Concilijs locum habuerunt in Disputationibus fidei, vt patet legentibus singulorum synodorum acta, ideo merito illis debetur præcedentia in his non solum illo generali titulo institutionis ordinis, verum etiam ex titulo laboris intellectiui in Concilijs Generalibus, & alijs Congregationibus, quibus interfuerunt, suam doctrinam communicantes fidelibus; & contra hæreticos defendentes fidem catolicam, & doctrinam Sanctorum Patrum. Adde, quod illis non deest propria Scola, cuius priuceps fuit Gratianus gente Etruschus, patria Clusinus, professione ordinis S. Benedicti Monachus, qui Theologiam Bononiæ docuit in Cænobio S. Felicis anno 1151. & Decretum iuris Canonici in vnum volumen exarauit. Fuit ergo Theologus, & Canonista celeberrimus ordinis S. Benedicti, merentur ergo eius alumni, & eiusdem ordinis professores honorabiliorem locum in Disputationibus supra Mendicantes, & infra Canonicos Lateranenses. Nec vrget, quod aiunt aliqui, non inueniri eius Scripta Theologica, nec proinde habere scholam, & sectatores. Nam sufficit, quod docuerit, & ius hoc præcedendi sibi, & suis aquisierit; præterquamquod nemo negare potest eius Scholam in Sacris Canonibus ex Decreto per ipsum tamquam Auctorem Compilatorem denominato Gratiani, ergo saltem ex hoc capite remanet eius Schola in viridi obseruantia, quam omnes amplexati sunt.

Colli-

Colligitur ergo ex his Canonicos Lateranenses, & Monachos Casinenses præferendos esse Mendicantibus in Disputationibus non solum titulo prioritatis institutionis suorum ordinum, sed etiam erectionis Scholarum, à quouis deinde accipiatur ius præcedendi, cum in eis ostenderimus proprias Scholas antequam ordines Mendicantium nascerentur in mundum.

Nichilominus respondeo tertio in hac re standum esse titulo insti-
429 tutionis, & confirmationis Religionum, magis quam iuri erectionis Scholarum. *Primo* quidem, quia titulus Scholæ non est vniuersalissimus sicut titulus institutionis, religiones enim non omnes sunt ordinatæ ad studia, ergo alumni eorum ordinum, qui studijs non incumbunt, si qui inter ipsos virtute præditi inuenientur, non habebunt locum in circulis, quia carent titulo schole. *Secundo*, precedentia est de genere relatiuorum, ergo concurrentes ad inuicem in Disputationibus, seu in quolibet alio actu debent participare formam illius tituli inæqualiter, ratione cuius vnus sit alteri præferendus, vt id apparet in processionibus, in quibus attenditur prioritas existentiæ in loco communis vtrique ordini competentibus inter se; in promotionibus Abbatum, quorum vnus præcedit alterum attenta prioritate promotionis tituli vtriq; per prius, & posterius inexistentis; in professionibus, qui est titulus communis professis, &c. *Tertio*, non constat de præciso tempore erectionis dictarum scholarum, potest enim esse, quod Schola Scoti sit prior Schola D. Thomæ, licet enim certum sit tẽpus mortis illorum quatuor Magistrorum, post quod Scholæ asseruntur erectæ, & non ante, tamen cum erectio non appareat ex suo initio, ab ea vt à re incerta non est desumendum ius precedentiæ, incertum enim & obscurum certum ius tribuere non potest, cum se habent tamquam argumentum ad conclusionem, sicut enim certitudo conclusionis deducitur ex certitudine argumenti, ita præcedentia colligi debet in sua certitudine ex euidentia, & claritate tituli, quo nititur precedentia; ex incertitudine ergo temporis, quo schola fuit erecta colligi non potest certa precedentia vnius aduersus alterum. *Quarto* causa intrinseca, & per se inspicienda est, non quę est extrinseca, & per accidens, seu accidentalis, l. qui habent 3. ff. de tutelis Clem. 2. de sepult. in fine casus, & in materia precedentię Tambur. tom. 1. disp.

25.

25.q.1.num.90. adeo quod intrinseca præfertur extrinsecæ; sed prioritas institutionis, & confirmationis religionum est causa intrinseca, cum nulla religio subsistat sine approbatione Sedis Apostolicæ, de quo nullus dubitat; erectio autem Scholæ in religionibus est causa extrinseca, & per accidens, cum religiones sine scholis existere possint, & alias extiterint, ergo præcedentia non ab erectione scholarum, sed ab approbatione religionum est accipienda.

Dices tertio, nonquam vidi in Disputationibus Canonicum aut Monachum præferri Dominicano, seu Franciscano, quod signum est illis non deberi locum honorabiliorem.

℞. Hoc argumentum nullius esse momenti. Tum quia argumentum ex facto negatiuo nichil probat, pręsertim consistente in mera negatione, licet enim ex facto oriatur ius l. si ex plagis 53. §. in cliuo ff. ad legē Aquil. l. fin. de iureiur. Barbos. Vaz lit. F. n. 13. non tamen ex eius negatione aliquid resultare potest in proposito, quia non entis nullæ sunt qualitates, & passiones; vnde contendentiū super pręcedentia, altera pars recedendo per factum negatiuum non dicitur cedere ius pretensum alteri persistenti in loco controuersiæ, quia recessus fuit non ad succumbendum, sed ad euitandum tumultum, & discordias. Tum quia negatiua facti vaga, hoc est, indefinita loco, tempore, & alijs circunstantijs omnino improbabilis est, iuxta dicta à me Controu. 1. num. 146. Tale est illud antecedens, ac proinde vti improbabile nihil infert. Tum quia cum præcedentia sit de genere relatiuorum, sortitur suum effectum fauore vnius, contra alium, quando duo simul competunt, & tandem vnus alteri redit, quod non accidit in facto negatiuo, cum vnus recedat, ne alteri aquiratur aliquod ius.

430 Pater Franciscus Pellizarius Benemeritus Societatis Iesu in suo Manuali Prælatorum tract. 8. cap. 6. num. 204. quærit vtrum ius pręcedentiæ desumi debeat quo ad congressus literarios ex antiquitate originis, aut dignitate status præstantioris, aut aliunde. Et respondet his verbis: *Iuxta praxim modo vsitatam desumi ex antiquitate religionis non quo ad suam originem, sed quo ad interueniendum congressibus literarijs, itaut in his præcedant religiosi illorum ordinum, qui prius cæperunt interuenire dictis congressibus; quicquid sit de antiquitate illorum quo ad originem, seu institutionem,*

nem; quamquam, (quod spectat ad Fratres Sancti Dominici) Clem. VIII in citata sua Constitutione 130 statuerit in omnibus actibus tam publicis, quam priuatis ipsis deberi primum, digniorem, & honorabiliorem locum post Canonicos, & Clericos Seculares, & antiquiores ordines Monachales. Quod tamen non habet locum in consessibus literarijs, in quibus de facto Patres Dominicani praecedunt quoscumq; Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes etiam Monachos, etiam Clericos Regulares etiam ipsos Canonicos Regulares, & quidem etiam Romae.

Obseruo contra Pellizar. hęc duo, nimirum quod praecedentia in Disputationibus accipitur ex antiquitate religionis non quo ad originem sed quo ad interueniendum congressibus, simul spectata non congruere, sed alterum superfluere, eo quod non datur ius pręcedendi fundatum simul in prius, & posterius, quia ratio prioris opponitur rationi posterioris; consequenter fauet vni secundum prioritatem, & refauet alteri secundum posterioritatem, neque enim idem ius ex contrarijs componitur; certum autem est, congressus literarios esse posteriores originibus religionum, ergo ex his duobus tamquam contrarijs componi non potest ius fundans pręcedentiam vnius contra alium; vnum ergo ex his superfluum est, consequenter ius pręcedentię aut sumitur à prioritate congressus pręcise, & sic futura concipitur antiquitas originis in hac materia, quod est falsum, nam primo sequitur absurdum, potest enim dari casus, quod ex industria primo vocetur religiosus vltimi ordinis ex quatuor Mendicantium principaliorібus v. g. Carmelitanus, & non Dominicanus, quo vsu vocatus incipit habere ius ad locum honorabiliorem, adeo quod si Dominicanus in alio congressu vocetur simul cum Carmelitano, debebit ex hoc capite iuris congressu cedere locum digniorem Carmelitano, quod vt absurdum, & iniustum ab omnibus reijcitur, non ergo à iure congressus accipitur praecedentia. Si dicas, esse vocandum primo Dominicanum, qui origine religionis est prior Carmelitano, cui debetur pręcedentia ex antiquitate religionis, non quo ad originem, sed quo ad interueniendum congressibus. Contra est. Tum quia in potestate est inuitantis conuocare quem maluerit; vt id experientia manifeste constat. Tum quia si vocandus est prior religione, sequitur pręcedentiam

tam accipi præcise ab antiquitate religionis, & nulla ratione à Congressu, quia non congressus per se, sed prout specificatur à debito conuocationis ex antiquitate religionis regulat præcedentiam.

Sensus tamen P. Pellizar. videtur esse is, vt illi religiosi alijs præferantur in congressibus literarijs, qui prius cæperunt interuenire in Disputationibus. Is sensus ita incertus est, & ambiguus, vt ex eo stabiliri non possit certum, & firmum ius deducendi præcedentiam vnius supra alium, cum ignoretur certa prioritas congressus vnius ordinis aduersus alium ordinem; non enim extat memoria temporis congressus vnius, & alterius; sunt enim congressus actus priuati, & transitorij, de quibus non solet fieri mentio in monumentis, sicut de erectione scholarum, & studiorum quandoq; relinquitur memoria ex actibus publicis, & ex diplomatibus maiorum. Quare sicut erectio aliquarum Scholarum ignoratur quo ad initium sui temporis, ex quo titulo certum ius præcedentiæ desumi non potest, ita congressus vti incertus non potest constituere titulum, & ius præcedendi in Disputationibus. Præterea hunc titulum Congressus concedamus, ex eo adhuc sequitur, ordinem supra enarratum hoc modo Canonicos Lateranenses, Monachos priores origine Mendicantibus, Dominicanos, Minores, Eremitanos, Carmelitas, & reliquos secundum prioritatem originis seruandum esse inter disputandum attento congressu; nam ante Mendicantes erant Magistri, Doctores, Lectores, & Scholastici in religionibus Canonicorum, & Monachorum, ac proinde eo etiam tempore vigebat exercitium disputationis, scholæ enim sine hoc exercitio conseruari nequeunt, ergo congressus literarius fuit inter Canonicos Lateranenses, & Monachos antequam nascerentur Mendicantes, consequenter illis debetur locus honorabilior siue ex titulo originis, siue ex titulo congressus; Canonici ergo, & Monachi ante tempora Mendicantium non erant otiosi, sed in scholis illius temporis se exercebant Pancirolus de claris legum interpretibus libro quarto de Academijs Europæ, refert capitulo quinto Parisiense Studium à Carolo Magno suadente Alcuino eius præceptore, & Beda discipulo Canonicis Regularibus institutum fuisse anno 792. vbi primo duo Monachi ex Hibernia eruditi in

sacris, & profanis literis docuerunt, vnus nomine Clemens, ibidem, alter Papiæ in Cœnobio Sancti Augustini iuuenes instruxit, & Romæ tunc temporis Alcuinus docebat, duo igitur erant Monachi Clemens, & Ioannes Scotus, duo Canonici Alcuinus, & Beda viuentes eo tempore 792. ergo necesse est, quod tunc temporis daretur congressus literarius, aliter inutiles, & infructuosę fuissent illæ Scholæ, si hoc exercitio caruissent, vigebant ergo, & tunc disputationes, & congressus literarij, immo nati sunt cum ecclesia, lege Act. Apostol. vbi
43 inuenies capitulo sexto quosdam de Synagoga disputasse cum Stephano, & non potuisse resistere sapientiæ illius, de Apostolo ibidem multis in locis dicitur disputasse acriter cum Iudæis, & alijs, qui cum eo altercabantur. A quouis ergo titulo accipiatur præcedendi ius in Disputationibus, ordo à nobis supra præscriptus remanet intactus, immo roboratus, & immobilis, & nullus titulus certior dari potest, quam prioritas originis singulorum ordinum; quibus omnibus communis est origo suorum Auctorum fundatorum; & approbatio, atque confirmatio facta à Summis Romanis Pontificibus, quorum interest approbare, vel non approbare, & reijcere institutiones ordinum.

Idem Pellizar. ab illo titulo congressus literarij eximit Dominicanos, quibus Clemens Octauus concessit honorabiliorem locum in omnibus actibus tam publicis, quam priuatis, post Canonicos, & Clericos Seculares, & antiquos ordines Monachales, quos non vult habere locum in congressibus literarijs, eo quod omnibus Canonicis Clericis, & Monachis regularibus præferuntur. Nescio, qua ratione faciat hanc exceptionem, nam attento Congressu hoc adhuc Dominicani preferuntur iuxta Bullam precitatam, quia congressus literarij, vt probatum fuit, erant inter Canonicos, & Monachos ante institutionem Prædicatorum, & vt supra probatum est, in ea Bulla sermo est etiam de Disputationibus, ergo Dominicani in his debent cedere locum Canonicis, & Monachis antiquioribus.

De

De præcedentia in materia Disputationis tractatum specialem hactenus non inueni nisi apud præfatum Pellizarium, & apud quendam Hispanum nomine Didacum Frances, qui in suo opere inscripto *Forum conscientiæ, seu Pastorale internum* Cæsaraugustæ impresso anno 1651. in terminis nostris probat, præcedentiam in Disputationibus regulandam esse ab antiquitate ordinum cuiuslibet religionis.

Circa hanc materiam duo noto, vnum est, in nonnullis religionibus obseruari, vt tertio loco arguat vnus ex proprijs, eo quod non ita facile inueniatur, qui loco infimo velit argumentari, quod in eo casu non præiudicat, cum potius ex necessitate id cõtingat, quam ex iure. Alterum est, non multum attendi locũ digniorẽ in sedendo in circulo, sessio enim confuse exerceri solet, potius vt circulus impleatur, quam vt gradatim sedeatur, nec hoc est præiudiciale.

Quæres 140. An, & quomodo professione aquiratur ius præcedendi inter religiosos?

433 ℟. Professio valida in opinione omnium dat ius præcedentiæ supra omnes posterius professos, cæteris paribus.

434 Professio enim est titulus, quo vnus religiosus alteri præponitur in eadem religione, nam professione euadit membrum, & pars illius corporis religionis, cuius Regulam Nouitius profitetur, vnde cum cæteris eodem iure censendus est, vt vnus supra alium habeat honoris præcedentiam attenta temporis prioritate in professione, non enim quæ sunt idem diuerso iure censendi sunt, l. Eum, qui ædes ff. de vsucapt. cap. Cognouimus 29. 12. q. 2. cap. Quia 22. de priuileg. Et hoc ius est respectu totius religionis, ita quod quocumq; eat, vel reperiatur professus habet ius sedendi, suffragandi, loquendi, subscribendi, & quouis alio modo præcedendi alios religiosos posterius professos. Ratio est, quia eo modo quis alijs præfertur, quo professionem facit; fit autem professio independenter à loco, & pro tota religione, cui se obligat independenter à loco, & tempore, ergo vbique ius habet præcedentiæ. Quare Nouitius cum professis præcedentiam competere non potest, cum nondum ius habeat ad illam inter professos.

435 Assumptio enim habitus non potest esse titulus præcedendi Nouitio cum professis, quia nondum est pars perfecta illius cor-

poris,cui posset competere hoc ius comparatiuum,cum in vtroq; extremo eandem non supponat qualitatem, & vnionem, nam idem iudicium esse non potest inter partes dispares, quæ nullam vnionem,nec conformitatem habent inter se,respectu cuius consurgere possit fundamentum causans idem iudicium, quod esse non potest inter diuersa, l.Inter stipulantem §. sacram ff.de verb. obligat. & dissimilitudo dissimilia inducit iuxta, gl. v. Nolumus extr.3.Ioan.XXII. de verb.significat. Respectu vero Nouitiorum inter se assumptio habitus dat ius in præcedendi, cum in ratione probationis pares sint, ideo ab assumptione habitus vnus alteri præferendus est.

436 Dixi *cæteris paribus*, quia in pluribus casibus non attenditur tempus professionis, quando nimirum professi competentes non sunt pares in iure præcedentiæ, sed attenditur illa qualitas, per quam persona est dignior, seu maior,consequenter meretur præcedere alium carentem ea qualitate, quamuis prior sit professione, nam magis dignus prefertur minus digno ex adductis sub num.40.

Quæres 141. Quando quis receptus fuit primo ad habitum probationis, seu etiam iudicatus ad profitendum idoneus, sed alias prædictis posterior, fuit prius admissus ad legendam professionem, an tunc posterior professus, cui de iure primo erat legenda professio, debeat precedere?

437 ℞. Præcisis dolo, malitia, & fraude debetur præcedentia primo professo, ex illa communi ratione, quod professio dat ius precedendi, prescindendo ab alijs actibus receptionis ad habitum,idoneitatis ad profitendum.Quare apud Bariolam v.Precedentia fol. 240. respondit Sacra Congreg. præcedentiam inter moniales attendi debere penes professionem, non autem penes acceptationem.

Dixi *præcisis dolo, & fraude*, quia si prioris induti habentis requisita ad profitendum,sine causa differretur professio,& posterioris nouitij acceleraretur lectio votorum,sine dubio priori preiudicaretur, consequenter posset implorare officium superioris, vt sibi concederetur precedentia alias sibi debita, sed impedita ex aliorum malitia, que nulli debet patrocinari; & id docui cap. 5. de profess. regul. q.51.ad quod faciunt, que habet Scrofa de Inualid.

lid.profeff. dub. 18. Legitima ergo causa dilationis professionis tollit dolum, & fraudem, aliter nulla existente causa, apparet fraus, vt præposteratione auferatur præcedentia.

Quęres 142. Quando non constat de hora professionis inter duos litigantes, quisnam illorum debet præcedere?

438 ℞. In hoc casu prefertur prius respectu ad habitum probationis, seu iudicatus idoneus ad profitendum, si de hoc constat, quia ex eo antecedente noto infertur consequens ignotum, posterius enim regulatur à suo priori, à quo dependet; atq; priora magis influunt in sequentia, & posteriora, quam è contra, gl. in l. Quisquis ff. de legat. 3. l. Si quis. §. Si Titium ff. de eden. Rota Rom. vol. 4. in Nouiss. decis. 295. num. 4. Quando de neutro constat, eo casu attendende sunt qualitates vtriusq; & qui pręualebit, pręferatur. Vel lis sorte dirimatur. Vide Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 2. num. 33. Si in hoc casu alter eorum est in possessione pręcedentiæ, in ea manutenendus est, non obstante litis motione, quia ex hoc pręsumitur prius professionem emisisse; ex ijs, quę habet Bursat. lib. 4. cons. 343. num. 75. & ex illo M Anton. lib. 1. resolut. 81. num. 1.

Quęres 143. An ius præcedendi habeatur ęquo iure à professione tam tacita, quam expressa? Ita quod si professus tacite profiteatur postmodum expresse, in nullo sibi pręiudicet, nec maius ius aquirat.

439 ℞. Habetur, neq; tacite professus expresse profitendo sibi pręiudicat in aliquo; primum patet ex illo communi axiomate, quod eadem est virtus taciti, & expressi, ex allegatis à Barbosa Axiom. 218. etiam in materia professionis, quia professus siue tacite, siue expresse habet ius actiuum electionis, cap. Ex eo 32. §. In ecclesijs, de elect. in 6. passiuum vero solum expresse professus, cap. Nullus 28. de elect. in 6. Clausura æque afficit moniales tacite professas, quam expresse, cap. Vn. de statu regul. in 6. In solemnizando voto par vtriusq; virtus, cap. Vn. de voto, in 6. Secundum vero colligitur ex primo, Tum quia professio tacita ex dictis dat ius pręcedentię, ergo illud conseruatur in professione expressa, ita neq, destruit aquisitum ius pręcedentię, sed illud magis corroborat. Tum quia professio expressa superueniens tacite professum fortius ligat, ergo & magis radicat in eo ius pręcedentię iam ante aquisitum.

Quæres 144. An professio inualida tribuat ius præcedendi sic inualide professo, ita quod illius ratificatio illi non præiudicet?

440 ℟. Ratificans professionem nullam non perdit ius, quod antea habebat, quando bona fide, & sine malitia profecit sic nulliter, dummodo tunc haberet ætatem sufficientem ad profitendum; neq;antea recesserit à religione; infra quinquennium ratificatione interrumpitur præscriptio præcedentiæ, non autem si post quinquennium ratificetur.

Primum de non perdente ius præcedentiæ in ratificando professionem probatur, Tum quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus actus primo gesti,l.Licet,ff. de iudic.l.fin.C.ad Maced.& reg.10. de regul. iur. in 6. ergo nulliter professus denuo proficiens se refert ad primum actum, ac si illum ab initio validum produxisset. Tum quia sicut subsequens matrimonium legitimat filios susceptos inter parentes solutos, ac si ab initio prolis constitisset, cap.1. & cap.Tanta 6.Qui filij sint legitimi;ita & ratificatio professionis legitimat ius præcedentiæ, ac si ab initio tenuisset professio, in qua ius præcedentiæ fundatur, valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale professionis, vt docui cap. 1. de Profess.regular.q.51. Tum quia sicut nati ex matrimonio in facie ecclesiæ bona fide celebrato, nullo tamen ex parte rei,habentur legitimi in successione iurium paternorum, non obstante illius ratificatione, & conualescentia, cap.2.eod.ita non obstante ratificatione professionis conseruatur, & corroboratur antiquum ius præcedentiæ. Tum quia sicut contractus à minori factus sine decreto iudicis nullus est, tamen si factus maior per quadriennium illum ratum habuerit,ex beneficio l.fin.§.1.C.si maior factus fiet validus etiam respectu temporis preteriti, quo ad suos effectus, ita dicendum de ratificatione professionis in ordine ad ius præcedentiæ,& ad alios effectus. Tenet consequentia, quia professio est quidam contractus, Nauar. consil. 26. de Regul. Rodriq. tom. 3. q.15.art.12.§. Circa eamdem. Ita docent Nauar. consil. 27.in fine,de Regular.Rodr.tom.3.q.17.art.3.fine,Graff.tom.1. consil.6.fine,de Regular.Vecch. disp.14.de Nouitijs dub.8.cum alijs, qui omnes pro auctore habent Nauarrum, eos sequitur Remigius Scrofa in suo libello de Inualid. profess. dub. 18. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 1.num. 152. Bonac. de claus. quæstione 2.

p. 10.

p.10.diff.1.nu.6.& decidit Rota coram Seraph. decis. 1361.n.5.

441 Secundum, quod mala fide nulliter professus ratificando professionem perdat antiquum ius, probatur, Tum quia ex vulgatis iurib. fraus, & dolus nemini debet patrocinari. Tum quia præcitati doctores supponunt Nouitium bona fide primo profecisse putantem esse validam. Bonam fidem adfuisse tempore professionis emissæ sufficit, ita quod mala fides postmodum superueniens ius præcedentiæ non infringit, quia hæc mala fides postmodum superueniens ius præcedentiæ non infringit, quia hæc mala fides fraudem, nec dolum dicit, sed solum significat professum deuenisse in cognitionem, post factum, suam professionem nulliter emissam ab initio.

442 Tertium, quod necesse sit, vt tempore professionis inualidæ haberet ætatem sufficientem ad profitendum, probatur, quia cum defectu ætatis Nouitius tunc esset inhabilis ad profitendum, ratificatio non potest retrotrahi nisi ad tempus habile à simili de matrimonio carnali, quod legitimare non valet filios adulteros, sed tantum procreatos ex solutis, quia respectu illorum non poterat constare matrimonium, sicut respectu istorum valuisset.

443 Quartum, si recessit à religione cognita suæ professionis nullitate; postea rediens ratificatio illi non prodest, probatur, quia retrocessione iuri suo renuntiauit, consequenter ratificatione illud non potest dici corroborare, & confirmare, cum euanuerit recedendo. Quare incipit habere ius præcedendi à puncto ratificationis, vt decisum refert ex Sellio Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 14. sed in Veneta impressione id non habetur.

444 Quintum, quod præscriptio præcedentiæ ratificatione interrũpatur si fiat intra quinquennium, probatur, quia per superuenientem cognitionem nullitatis professus incipit habere malam fidẽ, ergo interrumpitur præscriptio, quæ cum mala fide stare non potest, cap. 2. de Regul. iur. in 6. Transacto autem quinquennio non interrumpitur præscriptio, cũ iam cõsumata fuerit, consequenter ex duplici capite professus manutenẽdus est in suo iure præcedẽtiæ, & ex ratificatione, & ex completa præscriptione ex illo quinquẽnio, iuxta dicta superius q. 15. Sed quomodo ratificatione, vt prius dictũ fuit, nõ perditur ius antiquũ præcedentię, si illius pręscriptio interrumpitur? Videntur enim ista duo simul implicare.

Dico

Dico primo non perdi vltra quinquennium, à quo nec præscriptio interrumpitur, & sic non implicant. Secundo, neque perdi infra quinquennium, & cum eo stare interruptionem præscriptionis, quatenus remedio ordinario alter læsus in præcedentia vti non potest, sed tantum beneficio restitutionis in integrum, iuxta dicta ea q. 15.

Quæres 145. An dicta, & dicenda de præcedentia pro viris religiosis locum habeant pro monialibus proportionaliter.

445 ℞. Affirmatiue, quia in vtrisq; adest idem, & par fundamentum præcedentiæ, quod est professio, ex supradictis, ergo eodem iure in hoc censendi sunt. Quare Bariola lit. P. fol. 240. refert respõsum 30. Octobris 1584. Episcopo Nolano, quod præcedentia inter moniales attendi debet penes professionem, non autem penes acceptationem. Vide Lucernam Regular v. Præced. num. 21.

Quæres 146. An præcedentia inter clericos attendatur respectu ordinis, an vero solum respectu professionis?

446 ℞. In aliquibus ordinibus ad euitandam confusionem, & mutabilitatem præcedentiæ attenditur tempus professionis, excepto sacerdotio, cui defertur ob suam eminentiam; nam sacerdos semper honorandus est, & alijs præferendus, cap. 23. dist. 93. cap. Sacerdotibus 38. 11. q. 1. cap. Cum ex iniuncto 13. de hæret. Nec obstat cap. A subdiacono 5. dist. 93. quia ibi sermo est de clericis extra professionem, & in cap. Statuimus 15. de maior. potius sermo est de dignitatibus Presbiteralibus, Diaconalibus, & Subdiaconalibus, quam de ordinatis in sacris sub alia ratione.

Quæres 147. An præcedentia inter clericos, & conuersos attendenda sit respectu professionis, an ordinis clericalis?

447 ℞. Attenditur respectu gradus clericalis, ita quod conuersus professus nulla ratione præferendus est clericis, etiamsi careant prima tonsura, aut vnius diei professionem habeant, & talis vsus reuera abusus est. Probatur *Primo* ab ordine literæ, à quo sumptum argumentum in hac materia tenet, ex dictis sub num. 126. nam cap. Nimis 16. de excessib. prælator. primo nominantur clerici, quam conuersi, quem ordinem seruauit etiam Clem. VIII. in ea constitutione, in qua præfixit numerum religiosorum in singulis conuentibus. *Secundo*, Conuersi vocantur laici. i. non clerici, cap. Placuit 42. 16. q. 1. quia quo ad clericatum nichil com-

mune

mune habent cum clericis, neq; sunt deputati ad diuina officia, gl. v. mancipati, Clem. 2. ij, de ætate; sed inter clericos, & laicos nulla potest haberi competentia præcedentiæ, & non clerici præsumentes stare, aut sedere inter clericos reputantur temerarij, cap. 1. de vita, & honest. cler. ergo & conuersi prætendentes sedere inter clericos temerarij sunt, & plusquam ambitiosi. *Tertio*; conuersi in pænis comparantur laicis secularibus, cap. Accusatoribus 3. 3. q. 5. cap. Quoniam 5. 19. q. 3. ergo & in præcedentia, sed seculares non possunt sedere inter clericos, ergo neq; conuersi regulares. *Quarto*, quia eo tempore, quo Abbates nondum cõputabantur inter clericalem statum, nulla ratione præferebantur clericis etiam ordinis Hostiariatus, quibus subijciebantur, cap. A Subdiacono 5. dist. 93. ergo à fortiori Conuersi regulares, qui nullum gradum, nec officium habent. *Quinto*, quia Conuersi quo ad suum gradum semper sunt minores, & inferiores, clerici vero maiores, & superiores quo ad suum gradum; sed nulla consuetudine introduci potest, vt minor præferatur maiori, Decius consil. 21. num. 64. Tuschus v. Renuntiare concl. 171. num. 4. Peyrin. tom. 2. priuileg. ad constit. 7. Pauli V. est enim naturale, quod maior præferatur minori ex allegatis à Balthassare Thomasio de Præcedent. num. 1. iste est I. V. C. Lucensis vir doctus, typis Bonon. hoc anno 1647. *Sexto*, Conuersi nullam possunt adducere rationem, nisi titulum professionis, quæ dat ius præcedendi; sed hęc illis non prodest, quia dat ius absolutum inter pares. i. inter ipsos tantum conuersos, ita ut qui prius est professus prefertur posterius professo in gradu conuersorum, in ordine vero ad clericos, professio nullum ius dat conuersis; siquidem ius præcedendi multum habet de ratione relatiua, & comparatiua, ac proinde in vtroq; extremo supponit quid commune, quod cum non reperiatur inter Clericum, & Conuersum, qui sunt termini disparati, non comparati, ideo in præcedentia conferri non possunt ad inuicem. Faciunt dicenda in sequentibus quæstionibus.

Colligitur hinc, praxim in quadam prouincia ordinis N. pręcedendi Conuersos Clericis esse abusum extirpandum, cum tendat in preiudicium gradus clericalis; & quod peius est Conuersi volunt etiam pręcedere ordinatum in sacerdotem donec missam celebrauerit, quod longe absurdius est, quasi dignitas sacerdotalis celebratione

lebratione aquiratur, & non supponatur, est siquidem certum Sacerdoti præcedentiam deberi ab ordinatione, non à celebratione, immo & in actu suæ ordinationis simul celebrauit primo cum Episcopo, ergo ipso die ordinationis pręferendus est couuersis.

Quæres 148. Quem locum debeat habere Conuersus factus clericus? Vide dicta Resolut. 29. q. 34. inter numeros 93. & 96.

448 ℞. Conuersus à die ordinationis primę Tonsuræ incipit habere ius præcedentię inter clericos, ac proinde præferendus est illis, qui deinceps professionem emittent, dummodo legitime, & cum licentia superiorum ascenderit ad gradum clericalem, aliter nullo gaudet priuilegio, non obstantibus receptis ordinibus, qui in nullo illi suffragantur.

Probatur, Tum quia præcedentia in ordinibus attenditur à die promotionis, ergo non à die professionis. Tum quia ex dictis Conuersus aquisiuit ius præcedentiæ limitatum, & modificatum ad reliquos Conuersos in sua professione, ergo si fiat clericus, prætextu antiquæ professionis nullum habet ius præcedendi cum clericis, ergo tunc primo illud aquirit. Tum quia habens gratiam, vt clericetur, non ideo illi id intelligitur concessum cum præiudicio aliorum, qui ex iustitia, vt ita dicam, sunt clerici, ex cap. Quamuis, de rescr. in 6. ex quo Scipio Lancell. in Allegat. pro Canon. Regul. Lateran. probat Monachos ex priuilegio effectos clericos non debere præcedere Canonicis Regularibus, qui clerici sunt ex suo statu, & non per priuilegium, ergo idem à simili dicendum est de Conuersis eleuatis ad gradum clericorum. Tum quia Capucini non ab approbatione sui instituti, neq; à tempore, quo sunt in loco, præferuntur alijs Regularibus, sed ab ipso die, quo incęperunt erigere propriam Crucem, aquisierunt ius præcedentię in futurum super alios, ex dictis supra sub num. 378. & 397. Tum quia Confratres B. Ioannis Dei cęperunt habere ius præcedentiæ cum alijs regularibus, postquam eleuati fuerunt solemni professione in statum regularem, & non ab initio institutionis, prout retuli supra q. 134.

Quæres 149. An in ea religione, seu confratria, quæ fuit instituta sine gradu clericali, si Pontificia dispensatione aliqui assumantur ad statum clericalem, & ordines, isti sint præferendi alijs non clericis licet professione prioribus?

449

449 ℞. Assumpti ad clericatum præferendi sunt; Tum quia ius præcedendi est ius honoris, cap. 1. de maior. sunt autem magis honorandi clerici non clericis, cum illi sint digniores, ac proinde præferendi, l. Nemo, C. de off. mag. l. 1. & 2. de albo scrib. Tum quia per superuenientem dignitatem quis procedit, non obstante altero titulo antiquitatis, cui non defertur, quando vltimo receptus est cum dignitate Puteus lib. 3. decis. 105. Prędicta tamen intelligenda sunt, salua semper reuerentia superiori debita; nam Conuerso superiori semper debetur pręcedentia, & obsequium ratione superioritatis, sicut aliquando laicus secularis ratione officij præfertur clericis, & sacerdotibus. Ludouis. decis. 310. num. 6.

Quæres 150. An professus in secunda religione rediens ad priora vota gaudeat præcedentia prioris professionis?

450 ℞. Reuersus ad priora vota, siue profecerit, siue non, in secunda religione, non gaudet priori præcedentia, sed vltimò loco sedet, ratio est, quia per derelictionem prioris religionis amisit omnia iura quæ in illa habebat, siquidem per recessum desijt esse de corpore illius. Confirmatur, quia ex leuitate ab ordine Canonicorum Regularium transiens ad Monachos, deinde reuersus ad Canonicos, sedet vltimo loco, cap. Mandamus 2. 19. q. 3. ergo ius antiquum præcedentię perdidit. Vide cap. 5. de profess. q. 62.

Quæres 151. Quid dicendum sit de licentiatis olim prætextu Breuis Vrbani VIII. super nullitate professionis defectu loci Nouitiatus non deputati per Sedem Apostolicam?

451 ℞. Perdiderunt ius præcedentiæ eisdem per illum Breue consolidatum intuitu, & contemplatione Ratificationis professionis inualidæ, tum quia abusi fuerunt priuilegio illius Breuis cuius intentio & finis principalis erat, vt non discederent à religione, sed de nouo emitterent, & ratificarent professionem. Et faciunt mox dicta. Vide tom. 1. Resolut. 8. q. 7. & 9.

Quæres 152. An Episcopo reuerso ad religionem debeatur antiqua præcedentia secundum eius professionem?

452 ℞. Debetur, quia per translationem ad episcopatum non destruxit priorem professionem, sed eam meliorauit, vnde redeundo debet habere ea omnia iura, quæ ante egressum habebat; immo

debetur

debetur ei locus post priorem, dicit Peyrin. tom. 3. de priuileg. cap. 2. num. 34. citando Petrum de Baysio in direct. elect. part. 1. cap. 30. num. 8. Vide hoc idem tom. 2. Resol. 56. num. 21. fol. 146. Iterum dixi supra q. 62. num. 19.

Quæres 153. An ad triremes damnatus, finito tempore, reuersus gaudeat iuribus suæ precedentie antique?

453 ℞. Iura quidem non perdidit, quia adhuc remansit religiosus professus, nichilominus quatenus penitentiatus huiusmodi iura ita habet mortificata, vt ad illa redire non possit, nec admitti debeat tam cito à superiore, cum per suos actus facinorosos, se indignum reddiderit. Peyrin. de Subd. cap. 1. q. 27. dicto 8. ait, hunc non amisisse genituram, & pro se citat Silu. v. Religio 3. q. 19. sed ibi ne verbum quidem de hac re.

Quæres 154. An penitentiati in S. Officio perdant ius precedentie?

454 ℞. Non, quia in Decreto Sacræ Congreg. super hac re dicuntur tantum inhabiles ad gradus, & officia sue religionis, de quo Decreto plura dixi in Tribunali Sacro cap. 27. q. 14.

Quæres 155. An Doctoratus laurea insignitus in seculo veniens ad religionem, vel religiosus eadem insignitus transiens ad secunda vota habeat ius præcedentiæ cum alijs Magistris, & Doctoribus religionis, quam professus est?

455 ℞. Nullum ius habet sedendi supra Sacerdotes etiam simplices illo priores professione, probatur, quia illam dignitatem habet independenter à prælatis religionis, ergo nullum ius ex ea aquisiuit, omne enim ius, quod religiosus aquirit, dependet à religione. Tum quia transiens ad secunda vota ex prioribus iuribus nichil secum refert ex cap. Recolentes 3. de statu monach. Tum quia habens duas dignitates in duobus monasterijs, relinquit eam prioris Ecclesiæ accedendo ad posteriorem, cap. Præterea, de præbend. Tum quia illum honoris gradum non meruit in religione, ad quam transit, ergo respectu illius non videtur honorandus.

Quæres 156. An professus expulsus à religione, si iterum recipiatur, gaudeat priori præcedentia?

456 ℞. Negatiue, tum quia per eiectionem perdit omnia iura consequentia ad professionem. Tum quia transiens ad secunda vota,

si re-

si reuertatur non gaudet priori præcedentia, ex probatis q. 150. ergo multo minus expulsus. Ita Rodriq. tom. 1. q. 30. art. fin. in fine. Dixi Contr. 8. q. 15.

Quæres 157. Quem locum habeat transiens ab vna ad aliam prouinciam eiusdem ordinis?

457 ℞. Eumdem locum, quem habet in sua, quia sicut professio fit religioni simpliciter, & independenter à quolibet conuentu, ita & ius præcedentiæ ab illa dependens aquiritur simpliciter, consequenter vbicumq; reperitur suum habet tale ius. Ita ex Rodriq. tom. 3. q. 52. art. 30. Compend. resolut. 123. num. 84. Mirand. tom. 1. q. 31. art. 23. concl. 2. Tambur. tom. 3. disp. 7. q. fin. num. 5.

Quæres 158. Quem locum habeat professus in secunda religione?

458 ℞. Quam aquisiuit ex noua professione, cum per transitum perdiderit priora iura, & præcedens professio euanuerit, à qua pendebat prior pręcedentia, incipit ergo sedere iuxta tẽpus secũdæ professionis. Ita Nauar. consil. 11. de maior. Rodriq. tom. 3. q. 52. art. 9. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 86. cum illis Tambur. tom. 3. disp. 7. q. fin. num. 5. qui dicunt translatum, vt sit superior, præcedere, & presse sibi subditis, & finito suo officio in memoriam sui honoris, sedere prope superiorem.

Quæres 159. Qualis locus debeatur Nouitijs? Olim in meo Tractat. de profess. regul. cap. 5. q. 56. asserui, Nouitios clericali tonsura insignitos esse pręferendos laicis professis primo, quia istis sunt digniores ratione gradus clericalis. Secundo ex ordine literæ, quia in nonnullis Bullis Pontificijs prius nominantur Nouitij, quam Conuersi. Tertio, quia faciunt vnum, & idem corpus cum clericis professis, ergo ab eis non debent disiungi. Quarto, non obstat ius professionis, quia ex ea Conuersi ius præcedendi habent absolutum à clericis.

459 ℞. Nouitij semper postponuntur professis siue clericis, siue conuersis, ratio est, quia inter religiosos nullus eorum potest allegare ius præcedendi super alios, nisi sit professus, quia professio est fundamentum cuiuslibet iuris præcedendi inter regulares. Nouitij vero recepti ad gradum clericalem præferuntur Nouitijs laicis, propter maioritatem gradus ad quem disponuntur. Inter se vero Nouitij ad Chorum deputati seruant præcedentiam secundum tempus suscepti habitus probationis, deferendo

rendo semper ordinatis in sacris, & magis adultis; attenta quandoque puerorum iuuenili ætate, qui alijs præmittuntur.

460 Capucinorum laicorum professorum fauore emanauit sequens responsio. *Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita censuit, laicos professos vtiq; posse, ac debere Nouitijs etiam clericis nondum professis, in omnibus locis, & actionibus tam publicis, quam priuatis, vt supra in dicta Religione præcedere.* Roborata per Bullam Pontificiam Vrbani VIII. incip. *Nuper pro parte*, extensa apud Peyrin. tom. 3. priuileg. fol. 536. An autem id faciat pro Conuersis aliorum ordinum? Dico, quod illud Decretum non afficit aliorum ordinum Nouitios, nichilominus cum eadem omnino ratio appareat contra Nouitios quorumcumq; ordinum fauore conuersorum professorum, standum est Responsioni datæ, ex ratione, si non ex litera.

461 Modo respondendum est ad rationes præpositas fauore Nouitiorum. Ad primam dico, in ea supponi Nouitios ex ratione nouitiatus esse clericos, quod falsum est, siquidem caracter clericalis non constituit nouitium clericum, sed prima tantum tonsura, verum quidem est, quod nouitium deputat ad Chorum, & disponit ad gradum clericalem recipiendum post professionem, Nouitij igitur clerici non sunt, neq; proinde digniores laicis professis, sed illi mutabiliter, isti vero immutabiliter, & perseueranter, ideo merito laici præferuntur Nouitijs ex professione, & immutabilitate, quibus carent Nouitij. Ad secundam, argumentum ab ordine literæ aliquando esse inutile ex dictis num. 126. cum nimirum aliunde colligitur eius oppositum, vt in casu nostro. Ad tertiam, sufficienter dicuntur facere vnum corpus, quatenus nihil extraneum mediat inter ipsos, cum Nouitij iure præcedentiæ in loco infimiori iungantur laicis. Ad quartam, obstat Nouitijs fundamentum præcedentiæ, quod est professio, ideo pro se nihil allegare possunt.

Quæres 160. An Nouitio Sacerdoti assignandus sit vltimus locus inter Sacerdotes professos supra alios non sacerdotes professos?

432 ℞. Quando Sacerdos nouitius probatur cum alijs in loco deputato, nulla est congruentia illi talem locum assignandi, quia debet esse semper apud Magistrum, siue in choro, siue in processionibus, siue in mensa, licet receptione sit posterior alijs noui-

tijs,

tijs, quia defertur sacerdotio. Quando probatur extra locum, qui non sit deputatus ad nouitiatum, tenet vltimum locum inter sacerdotes ob dignitatem sacerdotalem, nec alicui fit præiudicium; quia in tali casu attenditur gradus clericalis, non professio, sicut quando sacerdos posterius professus præfertur Diacono e.g. prius professo.

Quæres 161. An homo senex venerabilis, & specialis benefactor non sacerdos, sed solum cum corona effectus nouitius recipi possit inter vltimum sacerdotem, & primum clericum?

463 ℞. Potest honoris gratia, & ex vrbanitate statui in medio illorum, Tum quia senes honorandi sunt, nam Sap. 3. num. 17. dicitur senectus venerabilis; & Prouerb. 16. num. 3. dicitur corona dignitatis; item Daniel. 13. 50. Deus dedit honorem senectutis; item Leuit. 19. 32. Honora personam senis; Prouerb. 20. 29. dignitas senum canities, ergo senibus exhibenda est. Tum quia humanum est exhibere reuerentiam ei, à quo beneficium receptum fuit, Graff. Append. lib. 4. cap. 1. num. 35. Tum quia in officijs caritatis alijs exhibendę primum locum obtinet benefactor, cap. Cum in officijs, de testam. ideo ingratus reputatur se opponens suo benefactori, cap. 3. de postulat. Tum quia benemeritorum causa receditur à regulis iuris, Dec. in l. fin. C. de collat. num. 9. Et subditi debent annuere, aliter inurbani sunt, & ingratitudinis signo notandi.

Quæres 162. De pręcedentia superiorum regularium eiusdem ordinis inter se? Regulariter superiores reducuntur ad tres classes, ad Locales, Prouinciales, & Generales.

464 ℞. Hoc eodem ordine seruant præcedentiam inter se, ea ratione, quia inter se habentur vt maior, & minor, vt subditus, & superior; certum autem est minorem, vt subditum cedere locum digniorem suo maiori, & superiori, siquidem inhonestum est, maiorem subesse minori, gl. v. exemptum, cap. Cum inferior, de maior. & contra decus ecclesię, gl. v. postulauit, cap. Cum ecclesia 31. de elect. sed superior Localis est minor, & subditus prælati Prouincialis, & ambo Generali, ergo hoc ordine præferendi sunt. Et in hoc nulla difficultas.

Quæres 163. De præcedentia eorumdem superiorum respectu aliorum qui non sunt superiores?

465 ℞. Superiores actuales in suis locis, & iurisdictionibus præferri quibuscumq; alijs quomodolibet graduatis, ratio vniuersalis est, quia sunt superiores aliorum siue subditorum, siue hospitum, siue graduatorum, siue non; est autem secundum naturam, & rationem, quod superiores inferioribus preferantur, cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum in ecclesijs 10. cap. Cum inferior 16. de maior. cap. Est ordo 12. 33. q. 5. ibi: *Nulla iustitia est, vt maior seruiat minori*. l. Vt gradatim, de muner. & honor. item C. Vt dign. ord. seru. lib. 12. Confirmatur, Tum quia quilibet in domo sua est maior, & alijs præferendus, l. Nichil omnino, C. de pal. sacr. larg. lib. 12. Capic. decis. 27. num. 24. & 25. Corneus lib. 2. consil. 193. num. 15. Tum quia isti præ alijs digniores sunt, cum sint in maiori labore, & diligentia, arg. l. Nemo ff. de de offic. mag. Bursat. consil. 343. M. Anton. lib. 1. resol. 81. num. 4. & tanto quis dignior dicitur, quanto tendit ad publicam vtilitatem, cap. Licet, de Regul. cap. Scripsimus 8. q. 1. & qui pluribus communiter prodest, debet præponi alijs, qui minus prosunt, Auth. Res quæ, C. de leg. Tum quia quilibet patronus in sua ecclesia prę cæteris honorandus est, cap. Pię mentis 16. q. 7. cap. Frigentius, ead. Quare Prior in suo conuentu præcedit omnibus sibi subditis, & aduenis, licet subditus sibi esset Episcopus reuersus ad Claustra, supra n. 190. & q. 152. Exceptis suis Prouinciali, & Generali actualibus, nam preteritis non cedit, cum illorum sit superior existentium de familia in eius conuentu. Prouincialis pariter præfertur etiam Prioribus. Generalis demum actualis omnibus. Hęc dicta sint de iure, quia ex vrbanitate multum est commēdabile cedere locum quibusdam in dignitate constitutis, qui non sunt formaliter subditi, quia honor est honorantis, consequenter sic agentes maiorem consequuntur honorem, & gratiam apud illos; & subditos ędificant ad humilitatem.

Queres 164. De precedentia Definitorum tam Prouincialium, quam Generalium?

466 ℞. Definitores vtriusq; generis extra capitulum, in suis conuentibus vbi morantur de familia, vel etiam vt hospites subsunt superioribus omnibus, quia respectu illorum sunt minores, subditi, & membra, que subijciuntur maioribus, superioribus, & capitibus suis. Definitores vero ijdem in capitulis Generalibus, prefe-

prȩferuntur omnibus,quia sunt immediata membra Generalis in negotijs cum eo tractandis non diuidenda à suo capite,cap. Non decet 1.dist. 12. In Prouincialibus subsunt Prouincialibus in negotijs peragendis. In casu autem, quod cum Definitoribus in agendis negotijs totius ordinis concurrerent Prouinciales, isti essent præferendi Definitoribus Generalibus, Tum quia Prouinciales dignitatem prȩsse acceptam, quȩ prȩlatura dicitur habent præterea ius tractandi negotia non minus, quam Definitores, ergo cum in prȩlatura excedant hos præferendi sunt. Tum quia in ratione prȩlaturȩ, & administrationis magis assimilantur Generali, quam Definitores, ergo vti similiores præferendi sunt.

Queres 165. De prȩcedentia Custodum, & Discretorum? Apud Franciscanos primȩ regulȩ duo sunt genera Custodum; nam aliqui sunt prȩlati ordinarij; qui prȩsunt certis conuentibus, & eorum Guardianis, & subijciuntur Prouinciali. Alij vero eliguntur sine prȩlatura,tantum mittendi ad capitulum generale. De quib. Rodr.cum suo Compend. resolut. 49.

467 ℞. Custodes prelati prȩferuntur Guardianis, & alijs omnibus, qui non sunt superiores maiores, Vide Constitut. Vrbanas in cap.8.Regulæ tit.51.num.4.& 15. In meo ordine non datur Custos prælatus sed tantum elector ad Capitulum Generale, in quo in suffragando sequitur suum Prouincialem, & Discretum, hic enim vbique habere debet digniorem locum, quia non sunt pares in dignitate, & personatu, sed aliquid plus habet Discretus,nam præter votum in Capitulo Generali commune cum ipso Custode,est præterea socius, & consiliarius Prouincialis, Custodis, & quatuor Definitorum, ex cap. 2. Regulæ, & Bulla Clem. VIII.incip. *Decet Romanum.* Item Generalis dum visitat Prouincias comitem, & consiliarium habet ipsum Discretum, de cuius consilio expelluntur incorrigibiles,cap.3.cum Prouinciali visitat prouinciam, cap.4.Merito igitur Discretus Prouincialis præfertur vbique Custodi in meo ordine. Demum idem Discretus in visitationibus cum Prouinciali præfertur etiam Definitoribus, quia is est in actuali seruitio,& alij silēt;ad quod faciunt dicta sub n.187. Discretis localib.vt qui transeunt,nullus assignatur locus.

Quæres 166. De præcedentia Procuratoris Generalis? Vide de eius officio Rodr. tom. 1.q.53.Mirand.tom.2.q.13.

468 ℟. Procurator Generalis cedit locum omnibus suis superioribus,ac proinde Generali,Prouinciali,& superiori locali suis,quia illis subditur de iure, sicut Generalis præteritus.In ordine Minorum Procurator de Obseruantia in capella Papæ præfertur Procuratori Conuentualium ex dictis num. 393. Procuratores ordinum inter se præcedunt iuxta suorum ordinum approbationem. Demum Procurator Generalis in suo ordine præfertur omnibus alijs officialibus non suis superioribus,quia ipse immediate vices gerit Generalis, consequenter locum tollit Secretario, & Definitoribus quoq;extra exercitium illorum , cum eius officij exercitium continuum sit.

Quæres 167. De præcedentia Socij , seu Secretarij Generalis ?

469 ℟. Cedit locum omnibus superioribus, quibus subest, ex conditione subiectionis, etiam Procuratori Generali. In suo actuali exercitio nulli cedit locum , sed Generali adhæret.

Quæres 168. An preteritis Generalibus , & Prouincialibus debeatur locus in memoriam suorum graduũ maioris considerationis?

470 ℟. In multis religionibus isti Patres obtinent locum digniorem super omnes alios officiales actuales, qui non sunt illis superiores, quod multum rationabile est. Tum quia ex illo communi axiomate ille præferendus est alijs , quem labor prolixior, & maiora merita faciunt anteire ; in istis autem cernitur labor prolixior , & maius meritum , ergo maiori sunt digni honore. Tum quia illorum , officia dicuntur maiora , ergo in aliquo alios excedere debent, etiam illo finito. Tum quia decorantur titulo paternitatis, ergo quoad hoc illis conueniens honor præcedentiæ correspondere debet.

Quæres 169. An præcedentia inter officiales attendatur ex professione,an ex promotione ad officium?

471 ℟. De iure attendenda esset ex promotione inter pares,ex cap. fin.dist.17.cap.Episcop.dist.74.cap.fin.75.cap.de maior.nihilominus in aliquib.religionib.attenditur tẽpus professionis, & quia illud est inconcussum,& inuariabile,& quia cum in ratione officij sint pares,præcedentia , quæ dicit disparitatẽ vnius ab alio, recte desumitur à tempore diuerso professionum. Dixi *inter pares*,quia Prior,seu Prouincialis,&c.simulMagister prefertur simplici Priori. Similiter habens duo officia præfertur habenti tantum vnum.

Vnde ad illos textus dici potest, ibi non adesse aliam rationem, quam promotionem illorum regulariter fieri solitam diuersis temporibus, in multis autem religionibus officiales sæpius fiunt eodem die, ita quod ex diuersitate temporis in promotionibus vix desumi possit argumentum præcedentiæ.

Quæres 170. De præcedentia prælatorum titularium?

472 ℞. Prælati titulares postponuntur alijs habentibus actu iurisdictionem, alijs vero officialibus præferuntur. Illud probatur, Tum quia quid maius est, & præstantius habere ius in actu, quam habitu, vt docui num. 187. sed prælatus titularis in habitu habet iurisdictionem, ergo postponitur alijs, qui actu habent iurisdictionem. Tum quia prælatus titularis dicitur minus priuilegiatus, quam prælatus realis; sed priuilegiatus magis præfertur minus priuilegiato, gl. v. priuilegiatum, cap. Accusatus §. Sane, de hæret. in 6. Tum quia Doctor legens præfertur non legenti, ex infra probandis q. 190. Istud vero constat, quia prælati titulares respectiue ad alios officiales, qui nec actu, nec habitu habent iurisdictionem, dicuntur ex hoc maiores, ergo præcedere habent. Quare Prouincialis titularis cedit locum Prouinciali iurisdictionis actualis siue sit Magister, siue non, non cedit vero ex prouinciali etiam Magistro propter actualitatem sui officij.

Quæres 171. Occasione precedentis quæstionis resolutionem sequentis casus propositi à Portello part. 2. casu 5. de duobus Patribus contendentibus Prouincialatum, Præsidens Capituli ad sedandam inter illos controuersiam, vni eorum promisit titulum Patris Prouinciæ, si vellet renuntiare suas prætensiones alteri, quibus cedens, statim creatus fuit Pater, & postea alter electus fuit in Prouincialem. Finito triennio, alia lis inter eosdem mota fuit circa præcedentiam, nam vnus alteri locum cedere nolebat. Quæstionem resoluit Portellus, locum deberi Patri, in præterito Prouinciali, ea ratione, quia præcedentia inter istos duos religiosos attendenda est, iuxta antiqnitatem acceptæ Paternitatis; sed ille, qui non fuit Prouincialis prius aquisiuit gradum Paternitatis, & Exprouincialis posterius eamdem aquisiuit, nempe post triennium, nam is gradus non confertur Prouincialibus actu existentibus, sed post terminationem sui triennij in officio, ergo ille Pater præferendus est Exprouincialato.

473 ℟. Exprouincialis præferendus est illi Patri, qui nunquam fuit Prouincialis. Probatur, Tum quia in hac præcedentia non est attendenda solum promotio ad Paternitatem, sed etiam & potius radix, & fundamentum Paternitatis, quæ supponit de iure dignitatem Prouincialatus, à qua originem trahit; sed Paternitas de iure potior est, quam ea quæ prouenit ex priuilegio, cum illa fundetur in dignitate Prouincialatus, hæc vero solum in gratia priuilegij, ergo præferendus est Pater de iure Patri ex priuilegio. Tum quia quando concurrunt duæ rationes non attēditur prioritas temporis, sed præcedit ille, qui meliorem, & potiorem habet rationem, l. Re coniuncti ff. de legat. 3. cap. 1. de Tregua; sed Prouincialis habet Paternitatem fundatam in dignitate, & bono regimine, quibus caret ille Pater, ergo Prouincialis alias præferendus est. Et ex his patet ad rationem Portelli, non attendi tempus promotionis, seu aquisitæ Paternitatis præcise, sed ex qua radice illa proueniat, à iure ne, an ex priuilegio, à bono regimine, an ex gratia.

Quæres 172. An superiores, & officiales extra suos conuentus, & loca retineant præcedentiam ac si essent in suis locis?

474 ℟. Nullus officialis extra proprium locum, prouinciam, seu ditionem vti potest iure suæ præcedentiæ, probatur, Tum quia extra, vbi nullam habet iurisdictionem, censetur homo priuatus, gl. fin. cap. Nouit ille 7. de off. legati per l. 3. ff. de off. præced. Tum quia officialis exiens à prouincia habetur pro priuato, ex l. 3. ff. de off. præsid. Tum quia secundum Puteum lib. 3. decis. 105. dignitas maior reuerentiam debet minori in loco, vbi maior nullam habet iurisdictionem, ergo Prouincialis e. g. Mediolanensis in Prouincia Bonon. reuerentiam exhibet Priori Regij. Tum quia officia distribuuntur iuxta mensuram meritorum; quos quisq; in sua prouincia meruit, ergo extra non est considerandus, cum nemo promouendus sit ex meritis, quæ aquisiuit in aliena prouincia, à qua tantum erat præmiandus. Prędictis obstat Peyrin. tom. 2. ad constit. 7. Pauli V. num. 4. dum dicit Prouincialem alienæ prouincię pręcedere Correctorem, & id seruari apud Dominicanos; sed id displicet, si sumatur in rigore iuris, ex vrbanitate vero licet, non aliter, quia aduena, quicumq; ille sit, aliquo modo subiectus est superiori locali, ad quem diuertitur. Nota, quod Officiales

ciales Generales, vti ipse Generalis, Procurator, & Definitores Generales vbiq; in tota religione præcedunt iuxta qualitatem sui officij, quia sunt tales respectu totius religionis. Vide infra de hac re.

Quæres 173. Quem locum sibi vendicent Commissarij delegati à superioribus maioribus ?

475 ℞. Commissarij de iure electi, seu etiam ab homine instituti præferuntur omnibus, ad quos mittuntur, etiam superioribus localibus, immo etiam Prouincialibus missi à Generali ad sindicandum eorum actiones, quia omnium sunt iudices, ergo vti illorum superiores præferendi sunt omnibus contra quos mittuntur. Missi in occurrentibus casibus, quorum officium tantum durat, quantum opus est ad expeditionem causæ, ad quam sunt electi, non sunt præferendi superioribus, quando contra eos, non sunt destinati, quia non illorum, sed aliorum tantum sunt superiores, & iudices.

Queres 174. An vices gerentes superiorum Localium, Prouincialium, & Generalis, quorum vocantur Vicarij, seu alio nomine, habeant primum locum post ipsos siue præsentes, siue absentes?

476 ℞. Istis debetur immediate post superiores, quorum vices gerunt, probatur, Tum ex cap. fin. dist. 93. ibi: *Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.* Et licet ibi sermo sit de tenente locum
477 Principis, nichilominus extenditur iure ad alios superiores, in eo sensu, quod locum tenens sit honorandus vti ille, qui superioris, vel sui maioris locum tenet, non ideo tamen honorandus est tantum, quantum honoraretur prelatus, si esset personaliter præsens, ac proinde præcedentia competere non potest cum equalibus prelatis, qui alias subessent quo ad honorem prelato, cuius vices gerit, vt bene docet Decius in cap. Sane de off. deleg. & in dicto cap. dist. 93. quem pro se citat Nauar. consil. 8. de maior. ponentem exemplum in Duce Sabaudiæ Preposito Legato Venetiarum, quia Dux personaliter aderat, & Legatus non erat Dux, sed Ducem Venetiarum tantum repræsentabat, quod prius dixerat Nauar. præcedenti consil. 7. Consequenter Viceprior, Viceprouincialis concurrentes in capitulis cum Prioribus, seu Prouincialibus istis cedunt locum illi proportionaliter; Vicarius vero Prouincialis præfertur Priori, quia ille huius superior est.

Tum quia isti Vicarij habent iurisdictionem delegatam super omnes subditos sui Prelati, cuius vices gerunt; ergo illos praecedere habent; vnde Paulus scribens ad Philip. cap. 2. ibi: *Eum cum omni honore habetote* loquendo de quodam à se delegato ad illos misso, iubet, vt illum debito honore recipiant tamquam Vicarium suum. Tum quia apud Monachos S. Benedicti Prior claustralis vti Vicarius Abbatis, dicitur secundus post Abbatem, ex cap. 65. Regulae, Graff. part. 2. lib. 3. cap. 32. num. 18. Et in hoc nulla difficultas. Videant tamen superiores, qui propria auctoritate, aut per electionem huiusmodi Vicarios eligunt, qualis conditionis, & status sint, vt etiam ex suis meritis valeant alijs praeferri.

Quaeres 175. De praecedentia Vocalium in Capitulis?

478 ℞. Apud aliquos attenditur promotionis tempus secundum ius commune cap. fin. dist. 17. cap. Episcoporum dist. 74. cap. fin. dist. 75. cap. 1. de maior. Melius apud Regulares attenditur antiquitas conuentuum in Capitulis Prouincialibus; in Generalibus antiquitas prouinciarum, de qua re Nauar. consil. 10. de maior. ratio est, quia singuli accedunt nomine suorum locorum, ergo sicut loca antiquiora praeferuntur modernioribus, ita & eorum personae officiales praeferuntur. Intellige praedicta *caeteris paribus*, nam non videtur rationabile, quod Prior non doctor praeferatur Priori doctori, qui in capitulo vtilius consulere potest communitati. Item videtur incongruum, quod Prouincialis paruae prouinciae licet antiquioris anteponatur Prouinciali magnae prouinciae, nam praeferendus est, qui maiorem habet iurisdictionis ampliationem, & qui pluribus praeest ex dictis q. 32. & 33. Demum in aliquibus ordinibus non male attenditur professio fundamentum inconcussum, & immutabile ex sua conditione.

Quaeres 176. Quomodo Generales ordinum inter se praecedant? Sermo sit de Generalibus Mendicantium.

479 ℞. Praecedunt attenta approbatione Religionum, quarum sunt Generales; Ratio est, quia cum omnes quoad gradum, & dignitatem pares sint, differentia praecedentiae accipienda est ab antiquitate approbationis singulorum ordinum, vt ille praeferatur alijs, cuius religio prius approbata fuit, vt colligitur ex gl. v. Praedicatorum cap. Quorumdam 24. de elect. in 6. ab omnibus

bus communiter recepta, & dixi supra q. 101. Quare Generalis Minorum postponitur Generali Prędicatorum, & prępenitur Augustiniano, Carmelitano, & reliquis. In ordine Minorum prę-fertur Generalis Fratrum de Obseruantia Generali Conuentualium, nam iste petere debet confirmationem ab illo, vt patet ex Bulla incip. *Omnipotentis Dei 2.* apud Rodr. fol. 277. Leonis X. Confirmarę autem arguit maioritatem, & superioritatem confirmantis super confirmatum, & est signum superioritatis, Bald. in l. fin. §. Noto vlterius, C. de leg. Abbas post Hostien. in cap. 1. & 2. de locato, Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 17. num. 93. prætorquamquod insignitur Generalis Obseruantiæ nomine Generalissimi, quo caret Conuentualis; superlatiuum autem excedit positiuum, vt notum est, quare Generalis obseruantiæ præfertur Generali Conuentualium. Præterea patet id ex Concilio Tridentino, nam in Catalogo Patrum Generalis Obseruantiæ numeratur ante Generalem Conuentualium. Et iste præfertur Generali Tertiariorum, is vero Generali Capucinorum, nam is vltimo institutus fuit paulo post approbationem huius Reformationis de anno 1528. vt dixi sub num. 397. Tertij autem Ordinis Regularis datus fuit à Nicolao V. eius Bulla incip. *Pastoralis officij.* Data 20. Iulij 1447.

Quæres 177. An Abbates tam Locales, quam Generales Regularium prefferantur Generalibus Ordinum Mendicantium? Non est difficultas de Abbatibus Generalibus, quia præter rationem Generalatus in eis spectatur etiam dignitas Abbatibus, ideo de iure Abbates Generales præferuntur Generalibus non Abbatibus. Restat igitur difficultas de Generalibus cum Abbatibus localibus, & quidem Regularibus, quia de Abbatibus secularibus, si sit sermo, certum quoq; est, præferendos esse Generalibus Ordinum, vt id paulo inferius patebit.

480 R. Generales Ordinum præferuntur Abbatibus Regularium localibus. Probatur, Tum quia prælaturæ Generalium comparantur Episcopalibus, seu Cathedralibus, gl. v. Regularis cap. Ne pro defectu de electo imnio Generales æquiparantur Patriarchis, & Primatibus, ex Rodriq. tom. 1. q. quæstione 12. art. 5. Lezana tom. 2. cap. 13. num. 8. quia sub se habent multas Prouincias, sicuti Primates, sed Episcopi, Metropolitani, & Primates præferuntur Abbatibus ergo eis de antiponuntur Generales.

Tum

Tum quia in Religionibus suis dicuntur Principes, Rodr. tom. 1. q. 68. art. 3. cum suo Compend. resol. 90. num. 33. Aretinus de Obseru. in sua praxi in fine cap. 1. eo autem nomine non vocantur Abbates, ergo minores sunt Generalibus. Tum quia Generales confirmantur à Papa vel Protectore; Abbates locales à suis maioribus, qui inferiores sunt respectiue. Tum quia in suis armis Generales more Episcoporum deferunt episcopalem pileum nigrum; non autem Abbates, huiusmodi autem insignia denotant praeeminentiam, & maioritatem loci, Abb. in cap. 1. Vt lite pend. Tum quia Generales excedunt Abbates locales in potestate, & administratione, nam Generales multo plures subditos sub se habent, conuentus, & Prouincias, quibus carent Abbates, & cum Generales parem habeant potestatem iurisdictionis cum Abbatibus Generalibus super suos subditos, consequens est dicere, maiorem esse potestatem Generalium, quam Abbatum Localium, qui in hoc minus sunt suis Abbatibus Generalibus, ergo praeferendi sunt, siquidem tenet argumentum à maiori potestate, & administratione, vt docui q. 33. & probat id Pasqualigus decis. 505. in terminis nostris, qui addit sequentem rationem, nam Generalis etiam Abbas praecedit omnes Abbates, quos alias non praecederet si non esset Abbas, ergo non praecedit ratione Abbatiae, sed Generalatus, ergo qualitas Generalatus maior, & dignior est.

Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 4. à num. 9. probat Abbates praeferendos esse Generalibus Ordinum Mendicantium, sed in probatione vtitur exemplis & casibus, qui de facto acciderunt, & vt plurimum comparat Abbates Generales cum praelatis Generalibus Mendicantium; Probatur, quia post Episcopatum est prima dignitas in Ecclesia Dei, ex cap. Si quis 9. 16. q. 7. vbi dicitur, quod de manu laici Episcopatus, vel Abbatia suscipi non debet; hoc ordine exprimuntur cap. 1. dist. 23. cap. 2. de iud. cap. Vt apostolicae 6. de priuileg. in 6. Deinde Paulus III. & Pius IV. in Bullis Celebrat. Concilij Tridentiui; & in ipso Catalogo Patrum, qui interfuerunt huic Concilio, Abbates ponuntur ante Generales ordinum, ergo praeferendi sunt. Ita quoq; sensit Manrique q. 1. de praeced. num. 25.

481 Respondetur primo in precitatis locis sermonem esse de Abbatibus

batibus tantum ſecularibus, aut etiam regularibus, ſed ſine vllo ordine ad prælatos Regulares, vt aperte colligitur ex locis citatis, nam in primo loco ſermo præciſe eſt de Epiſcopatibus, & Abbatibus, ideo non bene arguitur quod ſit prima dignitas poſt Epiſcopatum, quia ſecundo loco numeratur per ordinem ad Epiſcopatum, cui competit prior nominatio, & in cap. 1. diſt. 23. nomen Abbatis interponitur Epiſcopis, & Presbiteris, quod ſignum eſt, ſpectari ſine vllo reſpectu ad Regulares prelatos, ſed tantum ad expreſſas ibi dignitates; in cap. 2. de iudicijs, interponitur Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ex quo non poteſt deduci, quod ſit ſecunda dignitas ab Epiſcopatu, cum in omnium ſententia illis preferatur Archiepiſcopatus, quare ordo litere nichil probat; demum in cap. 6. de priuileg. ſermo eſt tantum de prelatis mitra ornatis, cuius Regulares Mendicantes ſunt incapaces. Quare allegati textus nichil probant ad hoc propoſitum, immo neq; ſimpliciter Abbatiatum eſſe ſecundam dignitatem ab Epiſcopatu, propter peruerſionem ordinis litere. Paſqualig. eadem decif. 505. num. 9. reſpondet ad illud cap. Si quis 16. q. 7. tunc temporis non fuiſſe in vſu dignitatem Generalatus, ideo poſt Epiſcopatum nominaſſe Abbatiatum. Illud autem caput, ſeu canon factum fuit in Synodo Generali ſub Gregorio VIII. electo anno 1187. & ante Innocentium III. erat in vſu officium Generalatus, vt colligitur ex Cõcilio eius Generali celebrato 1210. relato in cap. In ſingulis 7. de ſtatu mon. ibi: *Aduocent autem in huiuſmodi nouitatis primordijs*, ſermo eſt ad Monachos Caſſinenſes, *duos Ciſtertienſis ordinis vicinos Abbates ad præſtandum ſibi conſilium, & auxilium oportunum, cum ſint in huiuſmodi capitulis celebrandis ex lunga conſuetudine plenius informati.* Ergo Capitula Abbatum congregabantur etiam ante Gregorium VIII. ex illa longa conſuetudine; que talis dici non poteſt, ſi cepta fuiſſet poſt Gregorium VIII. cum inter dictum Gregorium, & Concilium prefatum mediauerit ſpatium viginti trium annorum tantum, quod non poteſt conſtituere longam conſuetudinem; & cum illis temporibus plures Abbates conuentuales congregarentur neceſſe erat, vt vnum caput ſupra ſe haberent, quod in re aliud eſſe non poteſt, quam Generalis. Melius eſt, reſpondere, illum canonem nichil probare contra nos, quia ibi ſermo eſt tan-

tum

tum de illis duobus dignitatibus, quæ non faciunt ordinem prę-cedentiæ nisi inter illos duos prælatos.

Ad duas Bullas Pontificias dico primo, post Episcopos nominari Abbates cæterosq; quibus in Concilio Generali sedere, vel sententiam dicere iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vt in vtraq; Bulla exprimuntur hæc verba; nominantur inquam, secundo loco Abbates, non quia omnibus Abbatibus indifferenter post Episcopos debeatur dignior locus, sed quia inter Abbates alij sunt seculares, alij regulares, & cum illi, si habent populum, & quatenus seculares præferantur Generalibus, ideo semel ex Bulla exprimit non ad designandum omnibus pręcedentiam, sed ne eadem verba inutiliter repetat. Secundo, ordo literę attenditur, quando est inuariabilis, vt patet ex dictis sub num. 126. constat autem ex mox dictis ordinem literę esse variabilem, & non concludere, quia vt vidimus ex cap. 2. de iudic. Abbas præponitur secundum ordinem literę Archiepiscopo, & tamen luce clarius est, esse Abbatem longe minorem, & inferiorem Archiepiscopo. Tertio, ex sessione in Concilijs non infertur ius ad precedendum, vt constat ex sess. 2. 5. & 25. de loco orationis, ex quo neq; efficax argumentum accipitur ex Catalogo, qui Abbates registrat ante Generales Mendicantium, præterquamquod illius compositor, seu scriptor non fuit legislator sed persona priuata quo ad hoc, vt induceret ordinem præcedentiæ. Alia vide apud dictum Pasqualigum.

Quæres 178. De præcedentia Abbatum tam Secularium, quam
483 Regularium, inter quos aliqui vocantur Magni Abbates habentes iura quasi episcopalia, subditos, & populos sub se; alij vocantur Abbates sine subditis, solo titulo, & nomine tales; alij sunt Mitrati, alij mitra carentes. Quamuis ab initio Abbates non essent clerici, neq; proinde constituti in dignitate, sed erant tunc laici .i. non clerici, quamuis alias personæ ecclesiasticæ, vt clare colligitur ex cap. A Subdiacono, dist. 93. vbi decernitur præcedentia sacrorum ordinum, & Abbas subijcitur Hostiario, postmodum eleuati fuerunt ad gradum, & ordinem clericalem cum dignitate, & secundum Vincentium Parentium in Allegat. pro Canonicis Regular. contra Monachos Casinenses, dignificati erant de anno 494. tempore tamen Siluestri Papæ dignitate

carebant, vt videre est in citato capite, cuius ipse est auctor.

484 R. Abbates inter se spectati seruant hunc ordinem, quod primo exempti præferuntur non exemptis; secundo habentes iurisdictionem præferuntur illa carentibus; tertio, Mitrati præponuntur non mitratis; quarto, Abbates in capita præferuntur alijs; quinto, Generales anteponuntur Localibus; sexto, seculares præferuntur Regularibus; septimo, attenditur in alijs tempus promotionis. Spectati vero in ordine ad extraneos, octauo, Abbas in propria Ecclesia omnibus anteponitur; nono, præfertur Vicario Generali; decimo, dignitatibus in Ecclesijs Catedralibus & Collegiatis; vndecimo, in synodo habet primum locū post Episcopū, & Capitulum; duodecimo nōquam præfertur Canonicis capitulariter se gerentibus cum Episcopo, singulis vero præfertur; demū præfertur procuratori misso per Episcopum, vel aliū ad synodum.

485 Primum de exemptis antepositis nō exemptis probatur ex cap. Vt Apostolicæ 6. de priuileg. in 6. vbi Abbates exēpti in synodis ornatiorem habent mitram, quam non exempti, & ratio est, quia ille præfertur alteri, qui proximior est Principi; Papæ autē proximior est Abbas exemptus quam nō exēptus Episcopo subiectus. Ita docet Boteus de synodo part. 3. n. 17. Manriq. de preced. q. 1.

486 Secundum de habentibus iurisdictionem probatur, quia arguit maiorem dignitatem, secundum Hostien. de maiori num. 1. Gemin. in cap. 1. de consuet. in 6. Decius consil. 61. fine. Confirmatur, quia qui preest pluribus maior est, & dignior, quā is, qui paucioribus presidet, Aut. Constitutio de dignitat. §. Generaliter, vbi glosa dicit, esse præmium dignitatis habere plures subditos, ergo à fortiori maior est Abbas habens iurisdictionem, & subditos respectu eius, qui nullos habet subditos.

487 Abbatib. carentib. iurisdictione, vel quia renuntiauerunt, vt cōtingit Abbatib. senib. qui non possunt, vel nolunt amplius subire onus administrationis, debetur locus post Abbates administratores in signum pristinę dignitatis, in qua se laudabiliter gesserunt, arg. l. fin. de Decur. & l. Seruus, C. de quęstion. iuxta Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum num. 81. & 82. de constitut. Feder. de Senis consil. 19. suffragatur pro nonnullis data benedictio, quæ in illis remanet, pauci tamen nostris temporibus benedicuntur. Vel quia priuati fuerunt in pænam, & his non debetur præcedentia,

quia

quia ex suis delictis non solum fuerunt spoliati dignitate, sed perijt quoq; memoria eorum, neq; congruum est, vt ex sua culpa reportent aliquod commodum, ex vulgatis iuribus.

488 Tertium de Mitratis probatur ex cap. Vt Apostolicæ 6. de priuileg. in 6. ibi: *Ex maioritate, & decore maiori ornatum maioritas apparet dignitatum.* Loquitur textus de Abbatibus mitratis, ibidem Gemin. & alij. Confirmatur, quia magis priuilegiatus præfertur minus priuilegiato, gl. v. Priuilegiatum cap. Accusatus §. Sane, de hæret. in 6. Cassan. part. 4. consider. 32. §. Modo magis priuilegiatus. Nauar. consil. 5. de maior. num. 5.

489 Quartum de Abbatibus in capite, probatur, quia habent iurisdictionem ordinariam principalem, in qua à nullo dependent, vt colligitur ex Tridentino sess. 25. cap. 11. Quare Abbas S. Benedicti præfertur Cluniacensi, is vero Cistertiensi, iste vero Præmonstratensi, hi omnes cæteris monachalibus Catal. G. M. par. 4. consider. 31. Leo in suo Thesauro cap. 2. num. 32. ex illis Manriq. q. 1. de præced. num. 15.

490 Quintum de Abbatibus Generalibus preferendis localibus probatur, tum quia ampliorem habent potestatem, tum quia superiores sunt respectu localium. Confirmatur ex dictis supra q. 177.

491 Sextum de secularibus prælatis regularibus probatur, tum quia ordine literæ preferuntur, vt patet ex Rubr. Ne cler. vel monach. Trid. sess. 25. cap. 13. ibi: *Exempti omnes tam clerici seculares, quam regulares.* Tum quia præferuntur in Ceremon. Episcop. lib. 2. cap. 32. & cap. 33. item in Rituali de exequijs. Abbates autem seculares sunt clerici seculares, sicut religiosi dicuntur clerici regulares.

Dices, superius sub q. 99. & 100. dictum fuit, clericatum esse prius in religiosis, quam clericis, ac proinde Religiosos esse digniores clericis. Cur ergo hic præfers clericos? Respondeo hic non considerari Religiosos ratione antiquitatis, sed spectari vnionem, & proximitatem similium in ordine ad caput, vnde rationabiliter in processionibus, & alijs, vbi adest Episcopus, & Capitulum eius Abbates & clerici seculares coniunguntur cum Episcopo tamquam eius membra permixta cum capite.

492 Septimum de paribus, in quibus attenditur tempus promotionis,

nis, probatur, Tum ex regula iuris: Qui prior est tempore potior est iure. Tum quia prior ordinatus maior habetur cap. 1. de maiorit. Tum quia ille antecedere debet, quem prolixior labor antecire facit, l. Nemo C. de offic. magistr. Tum quia Pius IV. sententiando de pręcedentia inter Canonicos Regulares, & Monachos S. Benedicti, Bulla incip. *Sedis Apostolicæ* 75. quam extendit Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 1. ad finem, vult Abbates inter se in Concilijs, Synodis, & alijs actibus publicis pręcedere iuxta tempus suæ promotionis, & id est conforme iuri communi locis citatis. Ita Nauar. consil. 5. de maior. num. 8. alios citat Manriq. q. 1. de Præced. num. 17.

Intellige prędicta, si cætera sint paria, pręfertur tunc qui prius fuit promotus ad Abbatiam; si vero eodem tempore reperiantur promoti, quod non videtur accidere posse, quia successiue promouentur, dicunt Doctores, quod præferendus est Abbas habens alium gradum, vt si sit etiam Doctor, nam Doctoratus est dignitas, secundum Decium consil. 160. num. 2. Menoch. 126. num. 7. vol. 2. Bertach. v. eod. cum alijs Manriq. q. 1. num. 18.

493 Octauum de Abbate in sua Ecclesia probatur. Tum quia quisque in domo sua cęteris maior est, l. Nichil omnino C. de ref. sacr. larg. cum alijs Corneus consil. 193. libro secundo. Tum quia Patronus in sua Ecclesia honorandus est, cap. Piæ mentis 23. cap. Frigentius 24. 16. q. 7. Tum quia in propria Ecclesia ratione officij, quo fungitur, debet habere pręcedentiam, vt docent Abbas in cap. Postulastis, de concess. prębend. num. 8. Gemin. in cap. A collatione de Appellat. num. 7. Puteus lib. 3. decis. 105. Ita Franciscus Leo par. 1. Thesauri cap. 2. num. 31. ex illo Manriq. q. 1. de præced. num. 1.

494 Nonum de Abbate prælato Generali Vicario probatur. Tum quia Abbatiatus est prima dignitas post Episcopalem, vt colligitur ex cap. 2. de iudic. cap. cum ab Ecclesiarum, de off. ordin. cap. quanto, eod. cap. Hac constitutione 15. de off. deleg. in 6. Clem. I. de rescr. Tambur. tom. 1. disp. 1. q. 3. quod dicatur prima, Rota decis. 44. num. 3. apud dictum Tambur. tom. 3. ex cap. Deinceps 16. q. 7. Archid. in cap. 2. de prębend. in 6. Ratio est, quia quoad insignia est propinquior, & similior Episcopo, ergo eius dignitas sequitur immediate ad Episcopalem, quasi pręrogatiua

non

non est decoratus Vicarius, ergo Abbas huic præferendus est. Tum quia dignitas Vicariatus habet dependentiam perennem ab eminentia Episcopali, cum in tantum sit Vicarius in quantum existit Episcopus; dignitas vero Abbatis independens est iure suo competens, ergo Abbas præferendus Vicario. Tum quia Abbas iure proprio, & potestate Abbatiatus vtitur sine participatione alterius, & proprium facit tribunal; Vicarius autem iure alieno vtitur sibi de iure Episcopali communicato, cum quo proinde vnum facit tribunal. Ita docent omnes cum Menoch. consil. 52. num. 131. & 137. Boteus de synodo par. 3. num. 15. Manriq. q. 1. de præced. num. 10. Riccius par. 4. resol. 393. contra Sbrozzium lib. 2. de off. Vicar. q. 25. num. 8. Intellige, quando Abbas ab ipso Vicario iudicandus non est, quia tunc fit illi subditus, alias concurrentes ambo ad idem negotium preferendus est Abbas ex allatis rationibus.

495 Decimum de Abbate præferendo dignitatibus probatur, quia ab ordine literæ arguitur præcedentia l. 1. de albo scrib. ex relatis supra q. 36. sed in iure prius nominatur Abbatia, quam alia inferior dignitas, vt videre est cap. Si quis 12. 17. q. 7. cap. fin. de off. deleg. cap. fin. de off. ordin. vtrobique in 6. & in Ceremon. Episcop. lib. 1. cap. 31. ergo Abbas prefertur dignitatibus. Ita docent omnes cum Ferro q. 1. de præced. num. 9. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 3. & 4. Riccius par. 4. Resol. 392. & 394. Intellige quãdo dignitates seorsim spectantur.

496 Vndecimum de Abbate sedente post Episcopum & Capitulum, probatur tum ex cap. Ex ore 17. de priuileg. vbi dicitur prima dignitas sedens post Episcopum in synodis. Tum quia præfulget radijs Episcoporum, ex cap. Vt Apostolice 6. de priuileg. in 6. Ita Boteus par. 3. Synodi num. 15. Menoch. consil. 52. num. 132. Ferro q. 1. de præced. num. 3. Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 3. Riccius par. 4. resol. 393. num. 6.

497 Duodecimum de Abbatibus non præferendis Dignitatibus, & Canonicis capitulariter spectatis probatur. Tum quia congruum est, immo necessarium, vt membra suo capiti sint immediate coniuncta, & vnita, ab eo enim discrepare non debent, cap. omnes 1. dist. 12. cap. Celebritatem 22. dist. 3. de consecrat. Tum quia eiusdem iuris sunt totum, & pars, l. Quæ de tota 75. ff. de rei

vendic.

vendic.cap. Pastoralis 28.§. Item cum totum, de offic. deleg.sed Episcopus ante Abbatem est, ergo & Canonici, qui sunt partes, & membra capitis,& totius,qui est Episcopus. Tum quia vniuersitas,& collegium dignius est, quam quęlibet persona singularis; tales autem censentur Canonici cum Episcopo simul congregati,ergo pręferuntur quibuslibet personis singularibus. Tum quia ita colligitur ex Ceremon. lib. 1. cap. 23. & cap. 32. Ita docent omnes cum Felino in cap. Pastoralis, de officio deleg. num. 9.& 10. Decio in cap. 2. de iudic. Deciano consil. 67. num. 9. & 13. vol.2. Nauar. consil. 3.& 4.de maior. Riccius par.4.resol.392.& 394. Ferro q. 1. de pręced. num.5. Procedit ergo,quando Dignitates, & Canonici incedunt capitulariter, vel sunt in Capitulo, siue presens sit Episcopus, siue absens, aut mortuus, quia illius semper sunt membra, nec desinant esse talia per illius mortem, cum non attendatur persona, sed dignitas, quę nonquam moritur. Abbates quando procedunt sub suis crucibus cum suis subditis, tenent locum, qui debetur suo collegio, vel conuentui de iure.

Quid dicendum, si in Catedrali esset dignitas Abbatialis? dicunt aliqui, quod est præferendus omnibus alijs,quia est prima dignitas post Episcopum;alij dicunt, postponendum esse Archipresbitero,& Archidiacono, quia in Ecclesia Dei prior Archipresbiteratus, & Archidiaconatus, quam Abbatiatus. Respondent esse quidem, sed non in ratione dignitatis, cum prior sit Abbatiatus.

Demum Abbas præfertur Procuratori, vt docet Ferro q. 1. de pręced.n. 27. ex Ceremon. lib. 1.cap.31.§. In sessione, Leo in Thesauro par. 1. cap. 9. num. 4. quia Vicesgerens est quidem honorandus vt ille,cuius gerit vices, sed non tantum,quantum ipse,ex Decio cap. Sane il. 2. de off. deleg. num.6.ad 12. Nauar.consil.7. de maior.

Queres 179. An Episcopus Regularis preferatur suo Generali?

499 ℞. Affirmatiue,quia Episcopatus est prima dignitas post Pontificiam,& Cardinalitiam;præterquamquod est antiquior dignitate Generalatus, nam Episcopi ab initio Ecclesiæ immediate à Christo instituti fuerunt, Generales multo tempore post introducti fuerunt;ad quod faciunt dicta q. 177.ad cap. In singulis,de statu monach. Nec obstat, quod regularis factus Episcopus remaneat

maneat adhuc religiosus, cum per assumptionem à dicto statum non desierit esse talis; sed solum id indicat, in habitu esse subiectum, seu in potentia, quatenus ad claustra redire potest, quandocumq; autem manet Episcopus, & extra claustra, nullatenus est subditus, neq; subiectus, quia per sacram ordinationem de Monacho factus Episcopus absoluitur à iugo monasticæ obseruationis, cap. Vn. 18. q. 1.

Quæres 180. De precedentia Inquisitoris, an preferatur Episcopis, Generalibus, & Abbatibus? Vide Tomasium de præced. n. 503.

500 Episcopus præfertur Inquisitori vbique. Inquisitor non præfertur Generalibus, sed vtique Abbatibus. Inquisitor in Choro, Processionibus, Mensa, & alijs actibus monasterij subest superioribus Localibus, Prouincialibus, & Generali. In circulis conclusionum præfertur etiam suo Prouinciali.

Primum de prælatione Episcoporum probatur; Tum ex primitate dignitatis, & ex dictis sub q. 55. Tum ex prioritate, quia prius sunt Episcopi, quam Inquisitores. Tum ex potestate in causis fidei, nam Episcopus de iure communi, tit. de heret. dicitur ordinarius, & Inquisitor delegatus. Tum ex prioritate nominationis, nam Episcopus in Bullis Pontificijs super causis Sancti Officij prius nominatur, deinde Inquisitor. Vide illas apud Bariolam in calce Flores Inquis. & Diana ad finem partis 4. Tum quia Episcopus dicitur primus Inquisitor, delegatus vero à Papa illius coadiutor. Nec obstat, quod maior sit delegatus à Principe, vt Inquisitor Ordinario, qualis est Episcopus, ex allegatis supra sub num. 136. & 202. quia vt ibidem dixi, id verum est, quando ordinarius per delegationem Papæ subijcitur delegato; constat autem Episcopum in casibus fidei non subesse Inquisitori, cap. Inquisitores 16. de hæret. in 6. Quare quando habenda est Congregatio S. Officij, ad quam regulariter ambo concurrunt, est in arbitrio Episcopi, quando vult interesse personaliter, vocare in sua aula Inquisitorem, vel adire ad monasterium Inquisitionis, & ibi, vel alibi semper sedere ad dexteram, & primo loqui, sed plerique contenti sunt primo, immo vt plurimum alijs occupati mittunt suos Vicarios Generales. Rem hanc fusius expediui q. 71. supra.

501 Generalis preponitur Inquisitori, siue sit proprius, siue alienus, probatur, Tum ex potestate, quæ in Generali est ordinaria, in Inquisitore

quiſitore delegata, ac proinde cum maior, & dignior ſit poteſtas ordinaria, vt quæ ex ſe eſt perpetua, magis radicata, & fortior delegata, quæ ex ſe eſt ad tempus, minus radicata, & minus fortis, conſequenter denotat etiam digniorem illam habentem. Tum quia Generalis non iudicatur in cauſis Inquiſitionis ab Inquiſitore, vt docet Trimarchus diſput. 8. ſect. 4. de ſolicitat. vbi multos doctores pro ſe citat. Et licet Inquiſitor non teneatur obedire ſuperioribus ſui ordinis, id tamen non eſt verum ſimpliciter, ſed tantum in rebus concernentibus officium S. Inquiſitionis, ex Bullis collectis à Barboſa in Deciſ. Apoſtol. collect. 422. num. 2. conſequenter ſimpliciter dicitur minor, & inferior ſuo Generali, & in conſequentiam alijs, quos non poteſt iudicare. Tum quia vnus Inquiſitor nunquam ſub ſe habet plures Prouincias, ſicut Generalis, id autem arguit pręcedentiam ex probatis q. 33.

502 Tertium, quod præponatur Abbatibus quibuſcunq; non Generalibus, probatur; Tum quia in cauſis fidei iudicantur ab illo. Tum quia ad Abbates habentes proprium territorium in diœceſi alicuius Epiſcopi, non tamen de diœceſi, non ſpectat iudicium in certis cauſis, ſed ad Epiſcopum viciniorem, ex Bulla incip. *Inſcrutabilis iudiciorum*. Vrbani VIII. contra Aſtrologos iudiciarios, quod ſignum eſt, illis Inquiſitorem eſſe pręferendum.

Quartum, quod in concernentibus regularem diſciplinam ſubſit & cędat locum ſuis ſuperioribus, certum eſt, quia tunc ſpectatur vt ſubditus, & profeſſor, vnde parem cum alijs profeſſis diſciplinam tenere debet, qui ſuum ſuperiorem reuerentur, & obediunt; & cum pro capite tunc ſuperiorem monaſterij habeat, neceſſe eſt, vt Inquiſitor tamquam eius membrum ſequatur ſuum caput, non è contra caput ſequatur membrum, contra curſum naturalem omnium rerum.

Demum in congreſſibus, & extra diſciplinam regularem pręfertur alijs etiam ſuis Priori, & Prouinciali, quia Inquiſitor extra monaſterium habet territorium ſicut Epiſcopus, ac proinde tunc ſpectatur vt talis, non profeſſus. Confirmatur id, quia Inquiſitor iuriſdictionem habet ampliorem, & digniorem ex materia, & obiecto, extenſiue etiam quoad perſonas, cum religioſos, laicos, & clericos iudicare poſſit; à maiori autem iuriſdictione, & extenſione arguitur maior dignitas ex dictis q. 33.

Prædictis addo sequentia habita ab Amico Inquisitore Ordinis Franciscani Conuentualium.

505 Inquisitor non præcedit Guardiano in mensa; præsente vero Prouinciali præcedit Guardianum; & præsente Generali, præfertur etiam Prouinciali, quia Inquisitor in Choro, & Refectorio cedit locum vnico prælato sui ordinis, & non alijs; quibus omnibus absentibus, vbique Inquisitor præcedit, & obtinet locum super Præsidentem, & Locumtenentem Guardiani absentis. Extra vbique omnibus prælatis ordinis excepto Generali præfertur. In processionibus intra claustra subest Guardiano, vel Prouinciali immediate, si adsit; ad processiones publicas non accedit ob reuerentiam sui officij. In capitulis in districtu, vbi est Inquisitor, stat apud Generalem supra Prouinciales, & alios. Et hæc satis.

Quæres 181. An Inquisitor præferatur Vicario Generali etiam Episcopo tam in Congregationibus Sancti Officij, quam extra?

504 ℞. Inquisitor præfertur Vicario Episcopi, seu Capituli, licet sit Episcopus, non tamen extra Congregationem, quando est etiam Episcopus. Probatur, Tum quia Inquisitor eligitur à Supremo Principe, & Vicarius ab Episcopo, vel etiam à Papa, sed fauore Episcopatus. Tum quia quisq; in domo sua est maior, l. Nichil omnino C. de pal. sacr. larg. lib. 12. Capic. decis. 27. nu. 24. Tum quia delegatus est honorandus sicut delegans, gl. v. deleganti, cap. Cum olim 33. de offic. deleg. per iura ibi allegata. Tum quia ibi non est attendenda qualitas Episcopatus, cum ibi sit tantum vt Vicarius, & quoties concurrunt duæ qualitates attenditur ea, quæ nocet, contra prętendentem, Felin. in cap. Cum causam, de iud. ergo qualitas Episcopalis prodesse illi non potest, sed tantum illa Vicariatus, quæ cum spectetur præfertur tantum cæteris. Parum refert, quod sit Vicarius episcopalis, vel capitularis, pro eodem enim hic reputantur, & sicut Vicarius Generalis cedit Inquisitori, à fortiori Capitularis, qui à minori eligitur.

Quæres 182. Qualis ordo præcedentiæ seruandus in Congregatione officij Sanctæ Inquisitionis?

505 ℞. Attenditur tempus receptionis in Congregatione, & si iste vsus sit inueteratus omnino seruandus est, neq; oportet aliquid innouare, quia huiusmodi consuetudo pro lege habenda est, cum fuerit approbata ex vsu antecessorum, qui sunt in pacifica possessione, vnde ius hoc illis legitime aquisitum auferri non potest prętextu cuiuscumq; conditionis, aut qualitatis volentium intrare. Et ita hic Parmæ attenditur prioritas temporis, pręciso, & reiecto quouis alio respectu, ita quod Doctores Theologi sedent semper ad dexteram partem, Doctores vero Canonum, & Legum ad sinistram secundum tempus sui ingressus. Et hoc mihi videtur valde rationabile, cum vtriusq; iuris, Canonici cap. 54. de regul. iur. & Ciuilis, l. Nemo C. de off. mag. radicem habeat naturalem, nam qui prior est tempore est potior iure; & illi gradu alios præcedere debent, quos labor prolixior anteire fecit. Et facit illud serui in Euangelio Matthæi cap. 20. *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus*. Fecit Dominus illos pares, quia sic illi placuit, & præcessit conuentio. Non enim videtur consentaneum rationi, vt illi, qui hodie ingreditur Congregationem, & nondum in ea laborauit, locus tribuatur super alios, qui in eadem per plures annos laborauerunt. Consultor tamen Dominicanus cum sit ordinarius semper præfertur cæteris.

Carena Cremon. vir doctus part. 1. de S. Inquisit. Officio tit. 8. num. 13. dicit, quod Romę Consultores in Congregationibus præcedunt eo modo, quo solent præcedere extra illas, ex Gratiano Discept. tom. 5. cap. 845. asserendo dictus Carena num. 45. quod Congregationes inferiores idem seruare debent, vt ex doctoribus, & iuribus tradit Tambur. tom. 1. disput. 25. q. 1. num. 199. & 200. Sed prædicta veniunt intelligenda, quando in Congregationibus inferioribus negotium præcedentiæ regulatum à prioritate temporis, & non dignitatis, non esset pacificum, sed controuerteretur, & nondum esset tempus præscriptum. Præterea alia est ratio, quare Romæ attendatur qualitas dignitatis, & non prioritas temporis, alia, qua alibi seruatur prioritas tantum temporis, siquidem in Congregatione Romana omnes sunt Prælati, qui antea laborabant pro Ecclesia Dei, consequenter non tam præteritorum, quam præsentium meritorum totius Ecclesiæ ra-

tio est habenda, quæ in inferioribus Congregationibus diuersa est, quia non omnes sunt Prælati, immo pauci.

Colligitur ex his, vbi seruatur præcisa temporis prioritas, cum non habeatur ratio qualitatis personæ, digniorem locum dari, qui primo ingreditur in Congregationem, interdum Doctorem laicum præferri Abbati, seu Canonico, & non tantum clerico; aliquando Canonicum, seu Abbatem siue Lateranensem, siue Casinensem postponi omnibus tum Legistis, tum Thologis etiam Mendicantibus, & infimæ Religionis.

Quæres 183. Quem locum habeat Inquisitor petens aggregari alicui Collegio Theologorum, seu aliorum?

506 ℞. Si in vsu sit prioritas temporis in Collegio, iuxta illam locum recipere debet, quia eodem iure cum alijs, quibus fuit copulatus, vti debet, arg. cap. Recolentes, in fine, 3. de Regular. Aliter sedet apud caput, & Priorem Collegij. Vnde in quodam Collegio Theologorum vnus Inquisitor obtinuit postremum locum inter numerarios; alter vero sola contentus aggregatione suum reseruauit intactum decus, renuntiando etiam emolumentis, ne retrogrederetur.

Quæres 184. An præcedentia debeatur Sacerdoti ordinato ante legitimam ætatem, aut furtiue sine licentia?

507 ℞. Negatiue, quia æquum non est, vt ex sua malitia, & ambitione commodum, & honorem reportet, ex vulgatis iuribus, sed puniendus est in eo, in quo deliquit, cap. 42. de appell. cap. fin. de Vsur. vt plurimum isti furtiue ordinantur, vt alijs debitam præcedentiam auferant; ergo in hoc puniendi sunt, atq; deijciendi inter clericos. Deinde isti carent exequutione suorum ordinum, quod est principalis effectus suscepti ordinis; ergo non gaudent iure præcedentiæ, qui est secundarius effectus.

Quæres 185. An vsus negans præcedentiam religiosis alienæ prouinciæ sit licitus, an abusus?

508 ℞. Quando professus est notus, aut secum defert scriptum autenticum suæ professionis, illi deneganda non est præcedentia, quia constat de iure suo vbique illi manutenendo, cum professio vnicuiq; det ius præcedentiæ simpliciter, & vbique in omnibus conuentibus, & prouincijs ex probatis supra q. 140. Absurdum quoq; vt sacerdos vnius diei præferatur sacerdotibus octo, aut

decem

decem annorum, iura enim clamant, quod ille debet præire, cuius labor fuit prolixior, & qui prior est tempore, potior etiam est iure; & qui vni conuentui inseruit, toti religioni dicitur esse vtilis, & benefacere. Consuetudo igitur illa dicetur abusus, quando constat de anterioritate professionis, alias admittenda est ad euitandas dissensiones.

Quæres 186. De præcedentia Vicarij Episcopi? Nota, quod Vica-
509 rius interdum dicitur Vicarius Generalis, interdum Vicarius Episcopalis, seu Prouicarius, qui in eo differunt, quod Vicarius Generalis designatur ab Episcopo, & habet potestatem à iure, ex quo dicitur ordinaria, in cuius exercitio tamen dependet omnino ab Episcopo. Prouicarius, seu Vicarius Episcopalis designatur, eligitur, & delegatur ab Episcopo, à quo consequenter, & non à iure recipit potestatem, & solet per modum prouisionis ab Episcopo deputari, donec prouideatur de Vicario Generali. Faciunt, quæ dixi Decis. 45. Vicarius Capitularis dicitur ille, qui eligitur à Canonicis, sede vacante, & is etiam dicitur Generalis, & à iure, de quo Trident. sess. 24. cap. 16. & eamdem habet potestatem, quam Vicarius Generalis, nonnullis exceptis. Vicarius Generalis interdum eligitur Episcopus aliquis, cum nimirum mittitur à Sede Apostolica; aliquando eligitur Canonicus, seu Abbas, aut alius titularis. His notatis.

510 ℞. Vicarius Generalis Apostolicus omnibus præfertur, Tum ex dignitate, quæ vbique spectatur ex dictis q. 55. Tum quia omnium subditorum Episcopi est superior, caput, & iudex, vt mox dicam. Tum quia delegatus Papæ est maior, vt præfertur omnibus, ad quos mittitur, cap. Sane 11. de offic. deleg. cap. Pastoralis 17. de off. ordin. cap. fin. dist. 93. cap. 1. dist. 94. ergo ab omnibus honorandus est quo ad primum, & digniorem locum. Vide Tomasium de præced. num. 287.

Secundo Vicarius Generalis digniorem locum habere debet, & omnibus præferendus est, siue agat ex officio, siue non, probatur, quia est caput, iudex, & superior omnium subditorum Episcopi, regulariter enim omnes subditos eius iudicat, & illis iubet, ergo omnibus præponitur, incongruum enim est, & contra rationem, quod caput, iudex, & superior subijciatur suis membris, reis, & subditis. Quare Vicarius in congregationibus examinum, &

aliorum negotiorum obtinet digniorem locum, & omnibus à se vocatis præest, siue sint dignitates, siue Canonici, siue Abbates; etiamsi adesset Inquisitor extra causas Sancti Officij, qui locum cederet Vicario, quia omnes vocati spectantur vt illius membra. Ad quod faciunt tradita per glosam cap. A collatione, de appellat. in 6. v. eod. Abbas in cap. Auditis, de elect. num. 4. Boer. de auctor. mag. consil. num. 64. dum dicunt in collegio præcedere Rectore millius omnes, quãuis extra esset alijs longe inferior; sic Rector præfertur Episcopo vti membro de collegio. Ita docent Panormitanus, Felin. Catalogus G. M. apud Nauar. consil. 1. de maior. Nald. v. Vicarius num. 3. alios citat Tomasius Lucens. de præcedentia num. 28. Diana part. 7. tract. 10. resol. 27. vbi pro Archidiacono refert argumenta, *Primum*, quia habens perpetuã iurisdictionem præfertur habenti temporalem. Id verum nõ est quando habens perpetuam iudicari potest ab habente temporalem, vti iudicatur Archidiaconus à Vicario, Sbrozz. lib. 2. q. 25. num. 7. vbi habetur Vicarium præcedere Archidiaconum, qui alias haberet priuilegium obtinendi primam sedem post Episcopum, quia id intelligitur respectu illorum clericorum, qui non habent iurisdictionem in Archidiaconum. *Secundum*, quia Archidiaconus est Episcopi Vicarius cap. 1. de off. Archid. & habet
511 curam Ecclesiæ absente Episcopo, vnde illius dicitur oculus, & post ipsum maior, cap. Ad hæc, cap. fin. eod. Hoc intelligitur iure antiquissimo; tunc enim erat Vicarius, modo in eius locum successit Vicarius Generalis. Vel dic esse Vicarium, quando nullus adest Vicarius. Demum post Episcopum Archidiaconus est maior respectu eorum, qui sibi imperare non possunt. *Tertium*, quia dignior est fungens officio iure suo, quam qui habet iure alieno, sed Archidiaconus iure suo fungitur suo officio, Vicarius alieno. Non concludit, quia delegatus non fungitur iure suo, sed alieno, & nichilominus maior est ordinario, contra quem mittitur, cap. Sane 11. de offic. deleg. Item Parochus iure suo curam habet animarum, & tamen non est maior Vicario. *Quartum*, quia is dignior est, qui consequutus fuit officium à digniori, cap. Per tuas, de maior. Archidiaconus officium, & dignitatem habet à dignori, i. à lege Pontificia, Vicarius vero ab Episcopo. Dico, vtrumq; esse à iure, nam Episcopus designat Vicarium, & is à iure

habet

habet suam potestatem, & sic vocatur ordinarius non minus, immo magis, cum imperet Archidiacono, illud colligit Sanch. lib. 3. disput. 29. num. 3. ex cap. 2. de offic. Vicarij in 6. *Quintum*, dignior est habens duas qualitates, quam qui vnam tantum, sed Archidiaconus habet dignitatem, & iurisdictionem, Vicarius solum posteriorem. Id falsum est, quia Vicarius dignitatem habet, Paris. lib. 7. de Resign. q. 24. num. fin. cum alijs Tambur. tom. 1. disp. 1. q. 2. fine. *Primo* argumento pro Vicario, qui præferendus est, quia maiorem habet potestatem Respondent Aduersarij, maioritatem iurisdictionis non arguere absolute maiorem dignitatem, ex Menoch. lib. 1. consil. 51. num. 55. dico ego, quod semper arguit contra subditos. *Secundo*, quia Vicarius dicitur associari Episcopo in iurisdictionibus, respondent id procedere in iurisdictionalibus, & non alibi. Dico, cum sit Vicarius non solum quando exercet, sed etiam in potentia, & habitu, vbique vt talis honorandus est, præest enim semper alijs, ergo vbique, & spectatur vt Vicarius, nisi quando se ingerit, vt Canonicus, tunc enim sedet in loco canonicatus, vt dicam. *Tertio*, quia Vicarius facit idem consistorium cum Episcopo, & eius locum tenet, ex cap. Præcipimus, dist. 93. Respondent, esse idem consistorium in iurisdictionalibus. Iam dixi, iurisdictionalia non attendi præcise secundum potentiam. Quod prætereà respondent, illud cap. Præcipimus, intelligi de locumtenente Summi Pontificis, falsum est, cum à doctoribus extendatur ad inferiores etiam prælatos, prout docui supra q. 174. & tradit Nauar. consil. 7. & 8. de maior.

512 Tertio, Vicarius Generalis, prout deducitur ex dictis, stallum primum habet in choro; præcedit capitulum, & clerum, etiam in processionibus, & sessionibus; candelam benedictam, ramum palmæ, cineres, post paratos recipit, post quos etiam thurificatur ante Dignitates, & Canonicos non paratos. Vide hæc apud Barbosam in decis. Apostol. collect. 714.

514 Quarto, in Synodo præsidente Episcopo Vicarius postponitur Capitulo, Tum quia hoc cum Episcopo vnum facit corpus, intra quod nihil extraneum esse debet. Tum quia collegium, & vniuersitas dignior est qualibet persona singulari Cassan. consil. 32. ex cap. Statutum de elect. in 6. Tum quia Vicarius de iure nō vocatur ad Synodum vel eius pars. Ita Riccius par. 1. resol. 567. & par. 4. resol. 391. qui præc. resol. 390. oppositū dixerat. Iterū infra. Quin-

Quinto, Vicarius Generalis in omni loco præfertur Gubernatori ciuitatis, & alijs poteſtatibus, & commiſſarijs, ex eodem Barboſa Sbroz.lib.2.q.26.num. 18. Riccius par. 1. reſol. 563. eius ſiquidem poteſtas maior eſt poteſtate quorumlibet laicorum, ex dictis q.41.

Sexto Vicarius Generalis etiam ſimul canonicus, vel dignitas in
514 choro, in capitulo, & proceſſionibus, vt lucretur ceram, & diſtributiones debet eſſe contentus ſuo loco, ac ſi non eſſet Vicarius. Ratio eſt, quia in his non ſe gerit vt Vicarius, ſed vt Canonicus, ſeu vt membrum capituli, ideo in his non habetur ratio Vicariatus. Vide præfatum Barboſam referentem Deciſiones, & ita docet Nauar. conſil.2.de maior.

Prædicta locum habent, ſiue ſit abſens Epiſcopus, ſiue præſens, quia ſicut per dicta non perdit ſuam iurisdictionem, & dignitatem, cum non à præſentia, vel abſentia pendeant, ita neq; amittit iura præcedentiæ, quæ fundantur in dignitate, & iurisdictione eius. Bene Riccius par. 4. reſol.390.

Quæres 187. An Doctor Theologus, ſeu iuris vtriuſq; præcedat omnes alios non Doctores tam in Eccleſijs ſecularibus, quam Regularibus?

515 ℞. Doctor præfertur non doctori, vt probaui ſub num. 234. Magiſter in Theologia Regularis licet ſit poſterior profeſſione præfertur omnibus ſacerdotibus profeſſione prioribus, qui nullum in ordine habent perſonatum, ſeu dignitatem, & gradum. Probatur, Tum quia iniquum, & abſurdum eſt, vt imperiti Magiſtris, noui antiquis præferantur, rudes emeritis, cap. Statuimus 7. diſt. 61. Tum quia dignior, & præſtantior alijs præfertur ex dignitate, non ex prioritate temporis, dictis q.10.num.40. Tum ex ætimologia nominis, nam Magiſter ſic dicitur, quia maior eſt in ſtatione, Clem.2.de Magiſtr. Tum quia Doctoratus eſt dignitas, ex adductis num. 33. 234. 236. & 237. & infra num. 525. ergo Magiſter præferendus eſt carenti ea dignitate, vel alia. Tum quia Doctor eſt vbique doctor, Bald.in l. 1.§. Huius ſtudij, quem refert Boſſius de Iubil.caſu 2.num.218.ſect.3.Faber.diſp.3.de Pænitent.num.34.quare vbiq; eſt honorandus. Tum quia S.Franciſcus in ſuo Teſtamento, referente Portello tom. 1.Reſponſ.par.2. caſu 31. num. 18. iubet, vt Theologis honor, & veneratio exhibentur,

bentur, eo quod nobis ministrant spiritum, & vitam. Nonnulli opponunt constitutiones Clem. VIII. sub num. 16. Nullus nisi actu legat, vel prædicet aliquo sui gradus priuilegio gaudeat. Sed non vrget, quia sermo est de Lectoribus, & Concionatoribus tantum, non autem de Doctoribus, & Magistris. Doctor Spissius, cuius doctissimum Consilium infra referam sub num. 525. dicit num. 531. in ea constitutione sermonem esse de exemptione à Choro. Vel cum alijs dic expedite, quod ea constitutio recepta non fuit in religionibus, immo multi Pontifices Romani circa præcedentias ad fauorem religiosorum disposuerunt, & dixi supra sub num. 392. de Reformatis Minorum, & 396. de Augustinianis.

Queres 188. Quis præcedat inter Theologos, Canonistas, Legistas, & Medicos? Vide Tomasium de præced. num. 188.

516 ℞. Præferuntur supradicto ordine, quod alia ratione non probatur, nisi ex præstantia, & excellentia vnius scientiæ supra aliam, quarum excessus secundum excellentiam regulatur ex obiecto, itaut quo nobilius est obiectum, eo scientia est nobilior, ex quibus consequenter desumitur præstantia, & dignitas vnius doctoris supra alium: inter autem scientias Theologia ex obiecto est præstantior, & dignior, quia versatur circa Deum vti suum obiectum, quod excellentissimum, & præstantissimum est simpliciter, & sine vlla comparatione ad alia obiecta, ergo Doctor Theologus præferendus est alijs. Canonista præfertur Legistæ, quia licet ambo versentur circa leges, quibus regulantur humani actus, tamen quia Canones principaliter versantur circa regi-
517 men, & gubernationem animæ, quam ad fælicitatem æternam dirigere intendunt, leges vero ciuiles tendunt ad gubernationem ciuium, & quietem inter eos seruandam in ordine præsertim ad temporalia; vnde finis legis canonicæ est præcipue salus animæ, ciuilis vero directio hominis in felicitatem corporis, vt colligitur ex cap. Filius 5. cap. Cum esses 16. de testam. vbi dicitur, quod ius canonicum sequitur magis legem Dei, quam seculi. Vide Mirand. tom. 2. q. 26. art. 2. hinc ex pretiositate animæ supra corpus, infertur maior dignitas, & præstãtia Canonistæ supra Legistam. Deinde Canones tuentur fidem, & ecclesiam, legesq; corrigũt, ergo iure Canonistæ Legistis præferuntur. Medicus demumq; infimum tenet locum.

Quæ-

Quæres 189. An Theologus, & Canonista simul, seu Doctor Legum præcedat alterum tantum?

518 ℞. Sic, quia habens duas dignitates præfertur habenti vnam, ex Decio consil. 161. num. 2. Menoch. consil. 126. num. 7. Cephal. consil. 615. num. 45. Tomasio de præced. num. 196. Intellige, quod Theologus semper præfertur Canonistæ, & Legistæ etiam respectu eiusdem personæ, aliter Theologus raro præferretur, quia quis promouetur regulariter ad vtrumq; Procedunt, quando ambæ qualitates non sunt inferiores, vnde Canonista, & Medicus simul non præfertur simplici Theologo; neq; eidem Legista, & Physicus.

Quæres 190. An Doctor legens preferatur non legenti?

519 ℞. Prefertur per tex. in l. 2. C. vt dignitat. Catalogus G. M. part. 10. consid. 26. Nauar. consil. 5. de maior. num. 6. Tomasius de preced. n. 191. Lector vero nondum Doctor nulli Doctori præfertur, quia lectura est officium, doctoratus vero dignitas.

Queres 191. An Doctor habens maius stipendium preferatur alijs minus habentibus?

520 ℞. Vtique, quia is gradus alios antecedit, quem meliora stipendia fecerunt anteire, l. 1. & 2. C. de off. ma. cap. Miramur 4. dist. 61. ad finem, Panorm. in cap. Clerici, de iudic. Catal. part. 10. consid. 27.

Quæres 192. An Doctor componens præferatur non componenti?

521 ℞. Affirmatiue, ex Luca de Pena in l. Mulieres C. de dignit. lib. 12. Catalogus part. 10. consid. 28.

Queres 193. An Doctoratus intra Religionem, in qua adest priuilegium, preferatur Doctorato extra in Vniuersitatibus collegiorum non regularium?

522 ℞. Non, ex hoc precise, quia honor, & dignitas à quouis conferatur, & in quolibet loco, siue intra religionem, siue extra, semper est eiusdem rationis, & conferentes pares sunt quo ad hoc, ita quod vnus ab alio non dependet in collatione, ergo cum nulla sit differentia in collatione, nullum est argumentum inferendi prelationem vnius contra alium. Dixi *præcise ex hoc*, quia si aliud in religione sit ordinatum, illud seruandum est.

Queres 194. An promotus ad Doctoratum, Canonicatum, vel Dignitatem

gnitatem à Papa, Imperatore, seu alio Principe præferatus alijs?
523 ℞. Sic promotus alijs præfertur, tribus concurrentibus. Primo, quod à Papa sit immediate promotus. Secundo, quod præcesserit rigorosum examen. Tertio, quod sit priuilegium, seu promotio extraordinaria. Probatur ex cap. fin. dist. 97. ibi: *Nos tamen vos in illo honorantes*. Promotus autem à Papa non potest honorari in Papa, nisi alijs præferatur. Expresse cap. Hi qui 12. de præbend. in 6. cap. Si à Sede 31. eod. cap. Per tuas 7. de maior. iuncta gl. 1. Ita docent Felin. in cit. cap. Per tuas, Panorm. ad cap. Postulasti, de concess. prebend. Bartol. in l. Magistros, C. de professs. & med. lib. 10. Paris de Puteo in tract. de Synod. num. 43. v. Doctor, Cassanæus in Catalogo part. 10. consid. 31. Gonzal. gl. 3. Proæm. num. 114. ad 118. Rota in Nouiss. decis. 845. Dixi, quod sit priuilegium, quia collatio beneficij facta à Papa in suis mensibus non arguit huiusmodi præcedentiam, cum non sit gratia specialis, & quasi quod concessum contra regulas iuris ordinarij.

Quæres 195. An Magistri Bullati, vt aiunt, præferendi sint alijs non Bullatis? Ratio dubitandi est, quia isti promouentur ex priuilegio Pontificio, ergo alijs præferuntur.
524 ℞. Non sunt præferendi, quia isti à Papa immediate, & cum examine non promouentur, sed tantum dispensantur in certis requisitis à religione necessarijs ad Lauream. Quare illis prodesse non potest responsio præcedentis quæstionis.

Cõtra istos Doctores Bullatos D. Columbanus Spissius V. I. D. Archipresbiter Regnaticẽsis scripsit ex penetralib. vtriusq; iuris, cuius Allegationem in iure vti doctrinam plenã subijcio ad verbũ.
525 In proposita Præcedentiæ quæstione inter Doctores, seu Magistros, simplici Rescripto Summi Pontificis intra priuatos parietes creatos (quos Bullatos vocant) ex vna parte, & eos ex altera, qui præuio rigoroso examine in publica Vniuersitate solemniter, & legitime ad Doctoratus gradum fuerunt euecti, aliquid cuilibet Doctori in medium proponere periculosum est, priorum enim partes tueri tentans, dignitatis suæ iniquus æstimator habebitur, & aliorum adhærens sententiæ tanquã propriæ causæ defensor parum fidei fortasse sortietur, sed vtrumq; scrupulum posse euitari arbitror, si Doctorũ opinionibus parũ insistendo, ad Sacr. Canones, & leges pro questionis decisione cõfugere voluerimus.

Simplici

Simplici autem rescripto Summi Pontificis sine alicuius Breuis expeditione posse aliquem in Curia Doctoralem dignitatem consequi, non est in quæstionem deducendum, quia sacrilegij instar est dubitare, an ille sit Doctor, quem suo peculiari rescripto elegerit Summus Pontifex, vel Imperator, l. disputare C. de crim. sacril. l. & virtutem premia C. de stat. & imagin. §. eos autem vers. quis non delegat. Auth. vt Iudic. sine quoq; suffrag. Et huiusmodi Doctores æquiparari illis, qui in Doctoratus assequtione viam calcarunt ordinariam, certum est Castr. in l. vlt. nu. 5. C. vbi Senat. vel Clariss.

Quin huiusmodi Doctores, quos Summus Pontifex solo rescripto ad Doctoratum promouet, præcedere debere eos, quos inferior Princeps, etiam prius Doctoratu insigniuit, non videtur dubitandum, Felin. in c. per tuas nu. 3. de maior. & obed. per tex. in c. si à sede §. hi qui de præben. in 6.

Priuilegium enim concessum à maiori Principe potentius est eo, cuius largitor minoris est dignitatis l. 2. ff. de alb. scrib. l. restituendæ, & ibi glos. C. de Aduoc. diuers. Iudic. d. c. per tuas de maior. & obed.

Et eo magis, cum prioritas temporis est coniuncta (vt in casu proposito supponitur) cum auctoritate maiori concedentis; Quanto enim tempore Priuilegium prius est, tanto prius etiam Iure esse dicitur §. 1. in Auth. vt exact. instant. Dot. prim. vel secund. l. si pignus ff. qui potior. in pign. Gail. obser. lib. 2. cap 55. cum ibi alleg.

Et licet doctorandi facultas non soleat à Summo Pontifice concedi, nisi per Breue extensum, non autem per simplex rescriptum, dato tamen, & non concesso, quod si concederetur in casu nostro, eundem effectum posset sortiri.

His tamen non obstantibus huiusmodi Doctores, & Magistros simplici rescripto creatos postponendos esse illis, qui in Vniuersitatibus solemniter, & legitime Doctoratum sunt consequuti, licet hi potiores sint tempore, indubitanter credo.

Duplex siquidem dignitas consideratur in Doctore, quem in digni-
526 tate esse constitutum non ambigitur Bart. in rubr. de veter. iur. enucl. & in l. 1, nu. 10. C. de Nouo. C. fac. in l. vlt. C. de Indic. in l. ex eo de Testam. milit. & in l. omnes C. de decur. cap. quanto de Magistris.

Dignitas

Dignitas videlicet natiua, scientiæ, quæ habet materiam præexistentem meritorum sufficientem ad procreandam veram nobilitatem, & dignitatem, tex. est in leg. prouidendum ibi, *quos scientia nobilissimos facit*, Cod. de postul. & ibi gloss. Bald. Ang. & Salicet. qui dicit nobilitatem esse filiam scientiæ authent. habita C. ne filij pro Patre c. super specula de Magistris, & ibi Abbas in 2. notabili, Tiraquel. de nobilitat. c. 5. nu. 1. & seq.

Altera est dignitas datiua, quæ nulla præexistente materia scientiarum, & meritorum, sed solum Principis beneficij adminiculum habet, qui quos vult honorat Bald. in d. l. sacrilegij C. de diuers. rescript. Iason in l. Omnium in 1. notabil. C. de Testam. Tiraquel. de nobilit. c. 6. n. 1. & seq. cum ibi alleg. & qualitatem confert, qua quis vltra honestos plebeos acceptus ostenditur, Imol. in c. de multa in fin. de præb. Abbas in c. 1. colu. 2. de purgat. canon. Guid. Pap. decis. 196. Socin. consl. 96. Tiraquel. vbi supra.

Sed quia, qui duplici dignitate est cohonestatus, præferri debet illi, qui alteram tantum habet, duo enim vincula magis ligant, quam vnum Abbas in c. de consanguinit. & affinit. & in c. Clericus de Iudic. Tiraquel. d. c. 5. nu. 15.

Iure merito Doctor licet tempore posterior, qui duplici dignitate natiua scilicet, & datiua est insignitus, qualis est Doctor cum rigoroso examine approbatus, præferendus erit seniori Doctori Bullato, qui vnicam tantum videlicet datiuam habet dignitatem.

Et si Scolaris doctrina excellens, & sic dignitate Natiua donatus, Doctorem imperitum præcedere debet, non enim pro titulo dignitatis, sed pro meritis stipendia, & honores assignantur, vt in l. 1. C. de Annon. l. sed & reprobari §. valde disciplinis imbutos ff. de excus. tutel. & ibi Bald. Rodoan. in l. si vero §. de viro ff. solut. matr.

Multo magis Doctor scientia clarus, & Doctorali dignitate simul insignitus, licet sit iunior, antiquiorem indoctum præcedet §. ordinationem, & ibi gloss. in verbo tempus Authen. de Monacis l. proceden. in princip. ibi aut meritum, vbi Salicet. C. de postul. c. si multa §. circa sublimes de præbend. & dignit. Alex. in l. cum quid nu. 5. & seq. ff. si cert. pet.

Si enim solum tribueretur præcedentia gradui Doctoratus, & tempori,

pori, scientiæq; denegaretur, profectò iniustitiæ competeret querela ipsi scientiæ, cuius præmium solus est honor Arist. Ethic. c. 13. quod præmium non est voluntarium, sed debitum, quia in Iustitia distributiua geometrica portio est obseruanda Arist. Ethic. lib. 5. c. 2.

Non enim per gradum Doctoratus collatum à Principe dicitur collata scientia, cui sine doctoratus insignibus debetur honos Bald. in leg. in dando ff. de Curat. & Tut.

Potest enim Princeps dignitatem Doctoratus tribuere, quæ nomine tenus est dignitas, sed quoad essentiam non est vera nobilitas, seu dignitas, *quia villissimus computandus est, nisi precellat scientia, qui est honore præstantior*, c. vilissimus prim. quæst. 1. Muscatel. de dignit. Doctorat. p. 2. nu. 1. 2. & 29.

Scientiæ tamen dignitatum Princeps indocto tribuere non potest, si enim promouendo indoctum præcedentiæ honorem præripere vellet scientificis, non esset à peccati labe immunis Tiraquel. d. c. 6. num. 5. ex Diu. Thom. & alijs ibi alleg. & toties grauaretur Doctus, quoties præcedentiæ denegaretur actus, qui toties Docto debetur, quoties præcedendi occurrit occasio, quia vbiq; & semper est Doctus, *& in quibuscumq; actibus publicis, præfertur ille, qui ad honoris insignia non ambitione, vel pretio, sed probata vitæ solet testimonio promoueri*, præuio nimirum rigoroso examine tex. est in c. sancimus prim. quæst. 7.

Hinc Dionysius Heliodoro aiebat, quem Adrianus Imperator epistolarum suarum fecerat Magistrum, *potest Cæsar pecunias, & honores tribuere, doctum facere non potest* Dion. in Adrian. Midendor. de Academ. lib. 1. cap. 13. vers. de quibus Bullatis Doctoribus.

Hinc mirum non est, si Princeps aliquem nobilem, seu Doctorem appellans, illum dignitate vera insignitum approbare non dicitur, nec quidquam Iuris in aliorum præiudicium tribuere videtur Butr. in cap. post cessionem, & ibi Calderin. de præbend. Frãc. Aretin. cons. 23. in 2. dubio Tiraquel. de Nobilitate cap. 6. num. 24.

Vnde verba enunciatiua Principis, & Priuilegia quatenus inferunt præiudicium, strictè sunt interpretanda, & sic quatenus Papa concedit Doctoratus priuilegia alicui non approbato, intelligitur

tur solum concedere ea, quæ sunt sine preiudicio aliorum, qui quamuis tempore concessionis non essent Doctores, in tali tamen dignitate scientiæ erant constituti, qua præcedere deberent priuilegium impetrantem, huiusmodi enim priuilegia stricte sunt intelligenda c. ex tuarum de auct. & vsu pall. Contelor. de præced. quæst. 1. n. 48. cum ibi alleg. qui dicit ex Galuan. cons. 29. n. 5. Quod frater creatus Definitor à Generali tanquam si fuisset Prouincialis, non precedit alios Definitores, qui sunt vere, & solemniter creati Definitores.

Quod etiam exemplificatur in Prothonotarijs non participantibus, qui quamuis quo ad nomen, & insignia, & sic quoad dignitatem datiuam sint Prothonotarij, non tamen precedunt Prothonotarios naturales participantes, nec inter illos in Capella locum sortiuntur, quia hi non solum datiua, sed etiam natiua dignitate fulgent. Contelor. vbi supra nu. 52. huiusmodi. n. priuilegia conceduntur honoris gratia, non ad effectum alijs præiudicandi Contelor. vbi supra nu. 51.

Prout etiam exemplificatur in Canonico Coadiutore, qui quam-
527 uis sit Canonicus, & habeat omnes prærogatiuas, & præminentias, quas habet Canonicus Coadiutus, quia tamen actu Canonicus dici non potest; sed solum habitu, non precedit veros Canonicos habitu, & actu existentes, etiam tempore posteriores; sed solumodo præcedet Coadiutores subsequentes, & omnes alios inferiores, gradu, licet sint Seniores Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 5. §. nono, nu. 102.

Quod & de Equitibus Hierosolymitanis, etiam verificatur, qui Equites, quos vocant gratiosos ad nullam dignitatem admittunt in preiuditium aliorum Equitum, etiam Iuniorum Statut. d. Religion. de elect. tit. 13. §. 4.

Et si quia iniquum arbitratur Pontifex Doctoratus gradum conferre indigno in preiudicium aliorum, mandauit in supplicatione, que pro Doctorandi licentia porrigitur, omnino illa verba, si non adsint apposita, rigoroso videlicet examine precedente, apponi per Signaturam, ne iniuria fiat alijs, & ipsi dignitati, illam indigno conferendo §. sed hoc quidem Authen. de Sanctiss. Episc. Luc. de Pena in rubric. C. de dignitat. lib. 12. Mandos. ad signat. grat. de licent. Doctor. vers. si in supplicatione, quod etiam animaduer-

maduertit Iul. 3. in ſua Conſtit. edita 6. Februarij 1552. relat. à Contzen. Politicorum lib. 4.c.16.§.9.

Et Pontifex reſcribendo, quod aliquis à Delegato fiat Doctor, ob id non dicitur remiſiſſe ſolemnitates, & rigoroſum examen, ita vt reſcripti Executor poſſit ſine vlla ſolemnitate, & examine aliquẽ Doctorem declarare; Quia quamuis Princeps reſcribendo poſſit vti Iure communi, & ſpeciali, attamen in dubio Iure communi voluiſſe vti certum eſt, cap. inoleuit de elect. Abb. in c. adhæc de reſcrip. & in c. illa quotidiana de elect. Caſtrenſ. in l. teſtamentum C. de teſtam. milit. Iaſ. in l. quamquam C. eod. & ſic Comes Palatinus, & quilibet alius habens poteſtatem legitimandi, ſeu doctorandi à Principe; dicitur illam habere ſecundum poteſtatem ordinariam, non autem abſolutam, Caſtrenſ. in l. Gallus §. & quid ſi tantum in fin. ff. de lib. & poſth.

Niſi in reſcripto fuerit appoſita clauſ. Non obſtante, &c. ex certa ſcientia, &c. quarum neutra in caſu noſtro appoſita apparet, Menoch. de præſump. lib. 2. præſumpt. 12.

Ideo cum Doctor Honorarius, de quo in cauſa agitur, nō per Breue Pontificis, vel per reſcriptum fuerit declaratus Doctor, vt multi alij ſolent creari, ſed ſimpliciter à Patre Generale (vt dicitur) delegato in vim reſcripti, nulla clauſula, Ius abſolutum tribuente roborati fuerit creatus, Doctorum Naturalium non poterit locũ ſortiri, quia nullum præceſſit examen; quod à Papa non legitur remiſſum, & ſic per abrupta dicitur aſſenſum petere cap. ſicut diſtin. 48. cap. legimus diſtin. 92.

Quod autem nullũ interuenerit examen, quod etiam in Doctore facto à Papa requiritur, probatione non indiget, quia hęc negatiua eſt, cuius affirmatiuam probare tenetur examen interueniſſe prætendens, non enim ſufficit in facienda Doctoratus probatione ſimpliciter probare aliquem eſſe Doctorem, ſed opportet probare illum factum fuiſſe Doctorem præuio examine Iaſ. in l. ſi quis maior. nu. 32. bene facit regula C. de tranſact. vbi reffert Angelum, Patian. de prob. lib. 2. cap. 41. nu. 8. & ſeq.

Quare Iure merito ſancitum habetur, quod quamuis *nemini cum ſit poſterior tempore, liceat locum præcedentis ambire, attamen ſi forte ab eo, qui tempore vincitur, laborum comparatione ſuperetur, & quindecim Primatum eiusdem Scrinij teſtimonio, cum Sacramẽti Religione ſub-*

subnixus dignior videretur;præcedere debeat, tex.est in l.vnicuiq;C. de proxim.Sacr.scrin.lib. 12.l.contra publicam in fin. Cod.de re milit. lib. 12. & ibi Bart. num. 1. Boer. in tract. de Auth. Magni Consilij num. 145.

Nec rescripti Principis vlla videtur habenda ratio, quia nemo *hunc ordinem debet, atq; stipendia præuenire, etiamsi Imperialis numinis detulerit indultum, sed is gradus cæteros anteceda t, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit ante ire* tex. est in l. nemo C.de de officio Magist.offic. c.si officia dist. 59. cap.miramur,distinct. 61.

Vnde manifeste constat Doctores, qui gradum fuerunt assecuti præuio examine rigoroso, & sic duplicem habent dignitatem, etiam si sint posteriores tempore præcedere, eos debere, qui sine examine Datiuam dignitatem obtinentes Doctoris nomen sunt sortiri, non obstante indulto Pontificio, & præcipue si prædicti eorundem Doctorum Collegiatorum sint Collegio aggregati, vt in casu nostro verificatur.

Quia omnes Priuilegia dignitatum hoc ordine seruanda cognoscunt, vt primo loco habeantur hi, qui actu Illustres peregerunt administrationes, vt sunt Doctores Iudicantes, Aduocantes, Legentes, & qui in examinandis doctorandis, & conferendis insignibus, qui Primates possunt appellari, continuo se exercent, qualis est Doctor noster, de quo in causa. Post hos omnes, qui à Principis numine sint cingulo; idest sine examine, & sine insignibus Codicillos tantum honorari dignitatis adepti sint, tex. est in l. omnes C. vt dignit. ord. seruet. lib. 12. & ibi Io.de Plat.l.vlt. §. viros autem Illustres C.vbi Senatores, vel Clariss.Boer.in d.tract.de auct.Magn.cons. n.91.Alex.in l.cum quid ff.si cert.pet.& in l.2. §. prius ff.de vulg. & pupil. Ias.in d.l. cum quid in 1. sect.

Nec priuilegia ex tempore æstimantur, sed ex causa l.priuilegia ff.de Priuil.Credit. Vnde non primi, nec secundi, nec tertij habetur ratio §.iubemus Auth.de Sanctiss. Episcopis, nec honorandum est omnino tempus, & ex eo ordo §. ordinationis Auth.de Monacis, & ibi Angel.& Roman. sed honores, & munera non ordinationi, verum potioribus quibuscunq; iniungenda sunt, tex. est in l. honores, & ibi gloss.ff.de decur.Bart.in lege 2.§.si prius ff.de vulg.& pupil.gloss.in c.accusatus §. sane de Priuil. in 6.

Nec se debito honore frustrari possunt conqueri huiusmodi Doctores, quos Honorarios, seu Bullatos appellabimus, si aliorum Doctorum habitu, & actu exercentium denegetur praecedentia, quia *si quando Imperio visum fuerit honorare Curiales, si tamen solo eos participare voluerit honore, fieri quidem Codicillos, & his dari mandat, tantum vero valere huiusmodi largitatem, vt ille honoratus quidem sit, & maxima Curiae pars esse videatur* (Aduerte verbum *videatur*) *non tamen neque Prouinciali Curia, neque eius albo liberetur, sed maneat sub antiqua fortuna solum lucratus honorem; Nec parum sit etiam hoc additamentum Imperialium praemiorum praesentem addens fortunam, & ostendens honoratiorem, & alijs Curialibus dignitate solumodo praecedentem* §. *si vero* solo in Auth. vt ordin. praefect. & ibi Bart. in princip.

Quare si Summus Pontifex aliquem Clericum, vel Monachum ex Curia Ecclesiastica, vel Monastica solo Doctoratus, vel Magistratus participare voluerit honore, ita vt aliorum Doctorum, & Magistrorum ordinis pars esse videatur; licet non sit, hoc tamen solum additamentum Pontificalium praemiorum sortitur, vt honoratior sit, quam antea fuerat, & alijs Honorarijs Doctoribus similibus praeferatur; caeterisq; illisq; fruatur praerogatiuis in Monasterijs, & Capitulis, quae caeteris non Doctoribus denegantur, prout hic noster Doctor honorarius fruitur, quae valde insignis est praerogatiua; & insuper ratione talis dignitatis; nempe quatenus est Doctor Bullatus, teneat, & habeat praecedentiam supra quoscunq; fratres ipso Seniores, quod si talis non esset, non haberet, prout nec etiam haberet vocem actiuam, & passiuam in omnibus Capitulis vti habet; en igitur quantis sit decoratus priuilegijs, & praerogatiuis; argum. à Seculari Curia, & Militari ad Ecclesiasticam gloss. in c. si officia, in verbo quis distinct. 59. cum iuribus ibi allegatis, Gam. decis. 1. nu. 15.

Priuilegia .n. competentia militibus, competunt & veris Doctoribus, qui non minus prouident humano generi, quam si praelijs, atq; vulneribus Patriam, Parentesq; tuentur, l. Aduocati C. de Aduoc. diuers. Iudic. Glos. & ibi DD. in l. miles ff. de re iudic. l. vlt. C. de Palat. sacr. largit. lib. 12. ibi, Eos quorum par, vel similis militia est ijsdem priuilegijs gloriari oportet Ben. de priuil. I. C. priuil. 38. num. 1. par. 2.

Et

Et quemadmodum omnis postulat æquitas, vt qui publicam munerum sollicitudinem gerit, quales sunt Doctores actu exercentes, de quibus supra, omnibus vacantibus, quales sunt Doctores isti Honorarij, & Bullati, quamuis tempore præcedentibus, sit preponendus, tex. est in l. preclaram in fin. C. de primic. & secund. lib. 11.

Ita etiam *Arrogantis, & impudentis est Ducis, locum occupare eum, qui Tyro nunquam fuit* c. si Officia distinct. 59. & *Magistri locum tenere eum, qui discipulus nunquam fuit habitus* cap. miserum distinct. 61. *quiq; non per singula stipendia incedit, ad meritum ordinem stipendij non potest peruenire* c. ordinatos distinct. 59.

Qui enim ambitione duce huiusmodi Indulta quæritant, illiterati presumuntur, cum rigorosum non interuenit examen Felin. in c. per tuas nu. 2. vers. limita primo de maiorit. & obed. Bart. in l. Magistros C. de profess. & medic. & cum per saltum graduati dicantur, aliorum Doctorum non potiuntur Priuilegijs l. nemini de Aduoc. diuers. Iudic. l. vnica C. de Athletis lib. 10. l. 1. C. de Annon. public. Abbas in c. Clerici de Iudic. Specham. quæst. iur. cent. 1. q. 22. & q. 100. Coler. de process. p. 2. c. 3. nu. 129. Guid. Pap. decis. 88. nu. 2. & decis. 388. nu. 11. Lother. de Re benef. lib. 3. q. 7. nu. 126. etiam si sint creati à Principe Cagnol. in l. si quis maior nu. 169. vers. quamuis in puncto iuris C. de transact.

Quia non attenditur auctoritas Doctorantis, sed rigorosum examen Ias. in l. 2. §. prius autem nu. 17. ff. de vulg. & pupil. & in l. si
528 quis maior nu. 30. C. de transact. & Princeps conferens dignitatem, presumitur conferre voluisse illis, quorum explorata sit prius fides, & grauitas, per rigorosum examen l. vnica §. credidit ff. de Off. Prefect. Pref.

Quare Doctori, qui proprijs precedentibus laboribus, & meritis vere est Doctor, iure merito debetur precedentia ab eo, qui per fictionem solo Principis beneficio Doctor nominatur, quia verum semper prefertur ficto c. cum venerabilis de Relig. Dom. c. Fraternitatis de frigid. & maleficiat. Et potentius est ius quod quis habet iure proprio, quam alieno Iason. in l. more ff. de Iurisdict. omn. Iud.

Et predicta locum sibi vendicant quidem in quolibet Doctore, sed precipuè in Monacho; Quia si in Doctoratus gradu perfectio Re-

ligionis consistit, ille perfectus dicetur Monachus, qui Doctoratus dignitatem habitu est consequutus, vnde iniquum esset, vt minus perfectus Monachus perfectiorem precederet.

Quod autem Doctoratus sit perfectio Religionis, non ambigitur,
529 cum enim perfectio Religionis à perfectione Caritatis attendatur, quę pendet à dilectione Dei, vnde vita contemplatiua nascitur, & à dilectione proximi, vnde actiua proficiscitur, & vna Religio, tanto magis pręcedit alteram, quanto magis ad hanc caritatis perfectionem in vera dilectione accedit Diu. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6.

Perfectus Monachus erit, & supremum in Religione tenere gradum iure merito debebit ille, quem labor, & studium reddiderit aptũ ad docendum, quamuis in. hoc sit opus actiuum ad Caritatem proximi directum, quia tamen ex plenitudine dilectionis oritur, vtrumq; complectitur dilectionis pręceptum, Cassan. in Catalog. glor. mund. p. 4. q. 52. ex Diu. Greg.

Et quemadmodum maius est illuminare, quam lucere, ita in Religione maior est Monachus docens, quam contemplans, *qui. n. fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno Cęlorum* Diu. Math. cap. 5. Vnde posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores Diu. Paul. Epist. prim. ad Corinth. c. 12. Qui Doctores ad iustitiam valent plurimos erudire, quasi stellæ in perpetuas æternitates permanent c. vlt. de Magistr. ex Daniel. c. 12.

Hos igitur Monachos Doctores veros, & legitimos cęteris preferendos esse, si ordinis, & Iustitię est seruanda norma, liquet, quia dispositionis Diuinę prouisio hos gradus diuersos, & ordines inter eos constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus (intellige veros Doctores) exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, vt ex diuersitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum c. ad hoc dispositio dist. 89. Boer. in d. tract. de auctor. Magn. cons. nu. 36.

Et sicuti Sacerdos ratione sacerdotalis dignitatis Clericum profes-
530 sione priorem precedit c. statuimus de maior. & obed. ita etiam Magister posterior professione priorem precedere debet, quia (vt dicebam) duo vincula magis ligant, quam vnum, & vbi maior

est

est dignitas, prioritas temporis non attenditur c. statuimus de maior. & obed. prout vere maior est, & ideo magis præcedere debet dignitas sacerdotalis qualificata dignitate Doctorali, quã simplex Sacerdotalis gloss. in verb. & viliores c. Sedes Apostolica de rescript. per cap. placuit § proper. eorum dist. 16.

Iure igitur merito Sacrorum Canonum, & legum summa cum Iustitiæ iniuria subuerteretur ordo, si non solum simplex Clericus. vel Monachus Doctorem præcedere presumeret, quod apud nullam Religionem in more esse puto, quia nullam Religionem ita irreligiosam, & adeo scientiæ, & doctrinę contemptricem esse arbitror, vt contra tramitem Iustitię nihil tribuens merito, sed omnia ex ordinationis, & Professionis tempore disponens, patiatur eum, qui ob suam ineptitudinem infimis solum inseruiuit Religionis ministerijs, precedat in incedendo, & Religionis dignitatibus adipiscendis eum, qui sudoribus, & laboribus donum sapientię curauit consequi, vnde omnis Religionis perfectio, & splendor emadat, vt est dictum.

Nec predictis obstare videtur Clementina Constitutio, de Regu-
531 laribus, *quod nullus nisi actu legat, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat*; primo quia de illis priuilegijs loquitur, quibus exemptio Chori, vel alterius ministerij indulgetur Predicatoribus, & Lectoribus, vt ex precedentibus capitulis d. Constitutionis colligitur, à quibus ad subsequentia infertur, Honded. cons. 9 num 24 volum. 1. Rot. decis. 491. num. 5. & decis. 185. num. 4. in fine par 1. in recentior.

Secundo, quia Constitutio illa, cum disponat solum de Lectoribus, & Concionatoribus, qui sunt spetiali gradu distincti à Magistris, & Doctoribus, vt in qualibet Religione notum est, & cum spetialis dispositio faciat, quod in alijs casibus à non specificatis disiunctis, non procedat dispositio spetialis, sed ius commune solummodo locum habeat Bald. cons. 382. nu. 7. lib. 5. Corn. cons. 81. nu. 9. lib. 2. Ancharan. cons. 293. in fin. Roman. cons. 86. num. 12. Guid. Pap. decis. 473. necessario sequitur, quod in preeminentia Magistrorum Ius commune attendatur.

Odia .n. sunt restringenda cap. odia de reg. iur. in 6. & precipue quando lex, & consuetudo est super facto negatiuo, qualis est hec Federic. de sen. cons. 25. nu. 4. in fin. vers. insuper, vbi tenet,

quod dispositio odiosa loquens de Monacis, non extendatur ad Canonicos Regulares, & Constitutio loquens de Prioratu Conuentuali, non habeat locum in dignitate Conuentuali diuersi nominis, vt est Præpositura.

Iniquum siquidem esset, vt prærogatiua illa, quæ omni iure, etiam naturali, quo sancitur, vt quod suum est, vnicuiq; tribuatur l. Iustitia §. 1. ff. de iust. & iur. §. Iuris præcepta Instit. eod. Magistris, & Doctoribus debetur, aliqua irrationabili constitutione tolleretur, tunc.n. constitutio illa tanquam iniqua nihil valeret, sed ab eo etiam trāsgredi posset, qui eam se seruaturum iurasset Oldrad. cons. 259. Alberic. in l. de quibus ff. de legib. Socin. cons. 95. lib. 3. ne statuentis Imperium ad iniquādum creatum inciperet esse damnosum Vasq. controuers. lib. 1. cap. 31. num. 6.

Hinc Sanctissimi Viri, qui primas tulerunt partes in Regularibus constitutionibus ferendis, Diuus videlicet Augustinus sancinit, quod in prærogatiuis seruaretur meritorum ordo, dum inquit, *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes* Diu. August. in reg. & Diuum Franciscum in suo testamento iussisse, vt Theologis honor, & veneratio præ cæteris exhibeatur, eo quod nobis ministrant spiritum, & vitam, refert Portel. de dub. regul. par. 2. cas. 9. nu. 18.

In quarum Constitutionum à Sanctissimis Viris latarum exécutionem naturales Theologos, etiam tempore posteriores quibuscunq; Honorarijs præfert Franciscana Religio Fratrum Obseruantium, vt in iurata habetur attestatione, quod & de Augustiniana Religione, etiam dicitur, quæ Honorarios nunquam ad præcedendum naturalibus Magistris admisit, quos Honorarios tanquam abortiuos respuit, etiam Seruorum *Religio, dum quorundam petulantiam, & arrogantiam compescit, qui, quo magis ignorantia laborant, eo audentius, & auidius stimulis humanæ gloriæ exagitati gradus huiusmodi minus sibi debitos affectant, & quibus artificijs possunt inire contendunt* tex. est in cap. 5. lib. 4. Centur. 2. Annal. Ord. Seru. contra quos etiam inuehitur Sixtus IV. *eo quod huiusmodi mos, fictitios honores appetendi, & maiores in dies gradus per fas, & nefas, super alios indignissime expetendi, quieti Religionis, & Regularibus institutis noxium, & contrarium esset, vt admoniretur posteritas, quantæ sit petulantiæ temeritatis hominem inscium eos sibi honores,*

honores, tam auide appetere, & irrogare quos sola virtus Studiosis, & in viridario sapientia laborantibus pro stipendio deferre consuepit, textus est in cap.4. lib.3. Centur.3. dd. Annal. Ord. Serui.

Nec ad consuetudinem confugere possunt Doctores isti Honorarij. Primo, quia in casu, de quo in presenti causa agitur, Doctor, seu Magister verus, & legitimus, cuius praeeminentia modo in controuersiam deducitur, vt in subscribendo apparet per scripturam authenticam, alterum Magistrum honorarium semper prescripsit, & in praecedendi possessione semper extitit, vnde illi manutentio est omnino danda, Post. de manuten. obseruat. 10. Etiam si iuris repugnaret dispositio Rot. decis. 32. n.7. decis. 33. n. 5. & decis. 229. n. 2. penes Post.

Deinde quia in hac re nulla potest esse consuetudo, sed abusus, cum enim certum sit ex Iuribus supra allegatis verum, & legitimum Doctorem praeferendum esse honorario, & ficto, qualibet contraria consuetudo aduersatur omni iuri, quia nulla iustitia est, vt maior seruiat minori c. est ordo 33. q.5. l. vt gradatim ff. de Muner. l.1. ff. de Abb. scriben. Abbas cons. 21. lib.1. & primo humilitatis praecepto repugnat, quo praecipitur minorē deferre maiori, & nō praeferre se aequali glos. in Clē. 1. in verbo humilit. De Relig. Dō.

Et ad hoc, vt vera possit dici consuetudo, necesse est, vt sit vniformis,
532 non autem diuersimode obseruata, vel diuersis actibus facta, qualis esset hec ad fauorem Honorariorum, vel aliorum, si vllam consuetudinem praetenderent l. quaesitum §. si quis eod. ff. de fund. instruct. l. si certis annis vbi Dec. num. 16. C. de pact. Alex. cons. 5. n. 7. vol. 5. & nisi rationabilis, sit, nulla est, & penitus corruit, quemadmodum .n. in l. requiritur quod sit rationabilis, ita etiam consuetudo c. erit aut. lex distinct. 4. Ruin. cons. 116. n.8. vol.4. Gail. practic. obser. lib.2. obser. 31. nu. 11. Nat. cons. 179. nu. 21. vol.1. quae vniformitas, & rationabilitas in praetensa consuetudine ex supra dictis non adesse apparet.

Quare tamquam pestis contraria omni iuri penitus extirpanda mā-
533 datur c. ad nostram & ibi glos. de Prob. *Mala .n. consuetudo quę nō est minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur in priuilegiorū ius ab improbis assumetur & incipiūt pręuaricationes, & vanae pręsūptiones celerrime non cōprehensae pro legib. venerari, & priuileg. more perpetuo celebrari* c. mala cōsuetudo dist. 8.

&

& talis profecto ista esset, si adesset, quod negatur, consuetudo, quia graduum, & Religionis peruerteretur ordo, & status, hominesq; à scientiarum studio auerterentur, dum ignaros, & indoctos præferri sapientibus, & doctis videreur, quo nihil potest esse Reipublicæ, & Religioni nocentius, vt experientia sæpe monstrauit.

Prædictisq; omnibus non obstant ea, quæ pro his Doctoribus Honorarijs, seu Bullatis primo afferebantur, quia ea omnia per supradicta Iura fuerunt sublata; Concedimus.n.non esse negandũ Rescripto solo Summi Pontificis Doctores creari, qui alijs æquiparari dicuntur Doctoribus, sed hoc intelligendum esse dicimus, quando rigorosum interuenit examen, quia, vt dicebam, non attenditur auctoritas Doctorantis, sed qualitas examinis Castr. in l.vlt.& ibi Add.C.vbi Senat.vel Clariss.Ias.in l.2. §. prius autem num. 17. ff.de vulg. & pupill. & in l. si quis maior num. 30. C.de transact.

Quod autem huiusmodi Doctores Pontificij alijs præferantur, verum puto, quando alij ab Inferioribus Principibus creantur, secus autem, quando ab Vniuersitatibus, & Academijs Apostolica, & Imperiali auctorit.erectis, qualis est Bononiensis Academia, graduantur, tunc.n. Academiæ illæ vices Pontificis, & Imperatoris sustinent, ita ut Doctores creati ab illis, dicantur creati à Pontifice, & Imperatore, penes quos solos Doctorandi manet auctoritas l. Magistros C.de Profess.& Medic.lib. 10.& ibi Bart.& Luc. de Penn.Salicet.in l. nemini C. de Aduoc. diuers.Iud.Io.And.in cap. 1. in glo. fin. de celeb. Miss.Abb.in clemen.2.de Mag.Felin. in cap.olim extr.eod. Alex.cons.110.num.2.lib.6.Quare Doctor hic Honorarius nullam præcedentiam prætendere potest, ratione auctoritatis Priuilegium concedentis, quia alterius Doctoris legitimi priuilegium ab eodem fonte manare certum est.

Nec prioritas temporis illi suffragari debet, quia per supradicta fuit demonstratum Doctorem legitimum, licet posteriorem tempore, præferendum esse Doctori Bullato, prioritas .n. temporis solum attenditur, quando ab omni alioquin parte paria priuilegia solo tempore excepto concurrunt, glos.in c.qui prior vers.hæc regula in hic locum habet de reg. iur. in 6.

Nec prioritas temporis illi suffragari debet, quia per supradicta fuit

demon-

demonstratum Doctorem legitimum, licet posteriorem tempore, præferendum esse Doctori Bullato; prioritas in. temporis solum attenditur, quando ab omni alioquin parte paria priuilegia solo tempore excepto concurrunt, glos. in c. qui prior vers. hæc regula in his locum habet de reg. iur. in 6.

Quare cum Doctoris Bullati preeminentia consistat solum in Codicilis, & Bulla, non est cur postpositis legitimis Doctoribus, qui iura precedendi habent fundata in labore prolixo, stipendijs melioribus, & in Illustribus administrationibus peractis amet primos accubitus in Cænis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi Diu. Matth. c. 23. Diu. Marc. c. 22. Diu. Luc. 11.

534 Nec se supra cæteros Doctores legitimos extollendi causam habet, quia

Doctorem te Bulla creat, tibi Bulla decori est
Bulla tibi vires, Bulla parit titulos.
Sed caueas nè Bulla minus te fortè perennet
Bulla homo es, & Doctor Bulla, quid ergò tumes?

Sic Melandr. lib. 1. Ioc. Serior. relat. à Contzen. d. lib. 4. Politic. c. 16. §. 9.

Et ex his, &c. Saluo tamen, &c.

Quæres 196. An Vicarius Foraneus habeat præcedentiam?

535 ℞. Vicarius foraneus vt talis, & ratione sui officij nullum habet jus præcedentie, nisi tantum in Congregatione, quæ de mandato Episcopi fit singulis mensibus. Ita decisum fuisse circa 30. vices refert Barbosa in Decis. Apostol. collect. 718. ex Aldano lib. 1. Compend. Canon. Resolut. tit. 43. num. 52. Videtur mirum, huic Vicario nullam competere precedentiam preterquam in vnico casu, cum hoc officium sit aliquid, ac proinde alicuius æstimationis; & præterea sit aliquorum foraneus, illorum cum sit superior, erit quoq; illis maior. Nisi velimus dicere, illi nihil competere preter assistentiam in Congregatione, in qua ideo habet digniorem locum. Vnde Riccius par. 1. Resol. 562. ait, Vicarium Foraneum non precedere Prepositum collegiate.

Queres 197. An Canoniste, seu vtriusq; iuris Doctori in religione competat precedentia eo modo, quo datur Magistris Theologiæ?

℞. Istis debetur præcedentia post Thologos supra Sacerdotes simplices

536 plices non graduatos, Tum quia ex cap. Statuimus 7. dist. 61. imperiti postponuntur peritis, & doctis. Tum quia in Ecclesia Dei gradus Doctorum est præcipuus, cap. Cum ex iniuncto 13. cap. Sicut 15. de heret. ergo pre alijs honorandi sunt. Tum quia non est maior ratio præferendi Theologos, & non alios Doctores, nam iure tam antiquo, quam nouo Tridentini æquiparantur, vt videre est sess. 22. cap. 2. sess. 23. cap. 18. sess. 24. cap. 8. & 16. Vnde Sacra Pænitentiaria ad ambos semper indiuisim dirigit literas expediendas in foro conscientiæ, ergo parificandi etiam sunt in honoribus. Sed quo nomine vocandi sunt in Religione? Magistri, est siquidem nomen conueniens statui religioso, quia est nomen officij, & humilitatis, quo Christus nuncupari dignatus est, non autem Doctoris, quod nota est ambitionis. gl. v. Doctoratus, Clem. 2. de Mag. Et ita practicatur in Religionibus.

Quæres 198. In Scholis Vniuersitatis N. Doctoribus Lectoribus licet posterioribus alijs laurea conceditur à Collegio præcedentia super alios simplices Doctores non Lectores licet anteriores. Nonnulli Doctores non legentes prætendunt huiusmodi Lectores intermissione studiorum causa pestis, & Bellorum perdidisse præfatum ius præcedendi, cum iam amplius non legant, neq; proinde sint Lectores, neq; stipendia recipiant. Quæres, inquam, an id verum sit?

537 ℞. Ius præcedentiæ in illis non fuit interruptum, neq; absolutum, sed adhuc manet in illis, in quibus manutenendum est, quod probatur argumentis in eo fundatis, quia intermissione studiorum causa pestis, aut bellorum, nequaquam fuit interruptum, neq; terminatum, sed solum suspensum, eo intermissum legendi exercitium, non secus ac tempore vacationum, sed semper perseuerauit ius legendi, in quo radicatur ius præcedentiæ. *Primo* quidem, quia Lector non incipit legere per nouam facultatem, aut conductionem, sed virtute prioris antiquæ prosequitur suum munus lectionis, ergo ius antiquum præcedendi conseruat, cum id fundetur in iure, & facultate legendi, quare sicut conseruatur ius legendi inuariatum, ita & ius præcedentiæ, causa enim inuariata manens semper eosdem producit effectus, quia secuudum Scotum, idem semper facit idem. *Secundo*, Lector cuiuscumq; facultatis dicitur habere officium, quod ex sua natura est perpe-

tuum,

tuum, argumento eorum, quæ habent Guidop. decis. 195. n. 1. Calderin. consil. 3. de rescri. & id maxime perspicitur in Lectoribus, qui conducuntur sine limitatione temporis, quare sicut perpetuo durat ius legendi, donec Lector absoluatur à lectura, ita & ius præcedentiæ semper durat cum iure legendi, quilibet enim effectus assimilatur suæ causæ, l. Verum ff. de furt. & ab ea regulatur, ac cognoscitur, ergo si ius legendi est perpetuum, etiam ius præcedendi ab illo dependens. Quare huiusmodi Lectores permanere habent in sua præcedentia antiqua, & posteriores debent cedere illis locum, quia non fuerũt absoluti à suis lecturis, sed illis accidit quasi vacatio à studijs ex incidentibus pestis, & bellorum. Alia vide tom. 2. Resol. 56. q. 8. num. 19. fol. 145. quæ ibi adduxi pro hoc casu.

Quæres 199. An Rectori debeatur secundus locus in Collegio fundato in sua Ecclesia?

538 ℞. Affirmatiue, quia quilibet patronus in sua Ecclesia honorandus est, cap. Piæ mentis 23. cap. Frigentius 24. 16. q. 7. & quisque in domo sua est maior, l. Nichil omnino C. de pal. sacr. larg. lib. 12. Capic. decis. 27. num. 24. & 25. Corneus lib. 2. consil. 193. num. 15. ergo in eo Collegio præferendus est omnibus alijs, qui non sunt caput illius Collegij, neq; patroni illius Ecclesiæ, in qua habetur collegium, & congregatio.

Quæres 200. In Parochiali N. de consensu Rectoris eius erecta fuit Congregatio nonnullorum Sacerdotum, qui in ea quotidie residere habent celebrando Missas, & alia diuina officia. Inter alia autem statuta huius Congregationis pro bono regimine, hoc factum fuit. *Nulla in præcedendo habeatur ratio dignitatis, vel personæ, sed tantum antianitatis, & temporis electionis, dempta tamen persona Parochi, cui primus omnino decernitur locus.* Adest autem aliud statutum, quod numerus sacerdotum augeri potest, soluta pecuniæ certa summa, & auctus fuit ex persona N. Sacerdotis habentis capellaniam beneficialem, alij vero Sacerdotes sunt tantum manuales, & ad nutum amouibiles. Quæres, inquam, an non obstante illo statuto de præcedentia, iste Beneficiatus ratione sui tituli possit prætendere præcedentiam super illos manuales? F. Illuminatus Moronus de Strictiori Obseru.

viri

vir vtique doctus hoc dubium proponit Respons.s.& resoluit negatiue ob multas rationes,quas ipse adducit. Sed ego paucis rem absoluo; quia non est magni momenti.

℞. Capellanus ille licet sit beneficiatus, & alij solum manuales debet habere vltimum locum, & tempore suæ receptionis in ea
539 Congregatione. Probatur, Tum quia ita expresse ordinatur in eo statuto,ad cuius obseruationem & ipse tenetur,cum sit factum membrum illius Collegij, consequenter debet sentire eamdem legem, quam alij eiusdem Collegij experiuntur arg. cap. Recolentes 3. de statu monach. Tum quia illud statutum est conforme iuri communi,quod habet, vt qui prior est tempore, sit etiam potior iure, & ille debet alijs anteire, qui prolixiorem habet laborem.Tum quia in materia præcedenriç attenditur magis consuetudo,& statuta singulorum collegiorum, quam alias ius commune,l.1.ff. de albo scrib. Tum quia ratio tituli beneficij, propter quod intendit præcedere, est extranea, & impertinens ad hoc collegium, quod instituitur ex solis sacerdotibus non beneficiatis,ergo titulus beneficij hic non spectatur, consequenter Capellanus iste non potest illum pro se allegare, quisq; enim suum intentum probare debet per rationes proprias, & pertinentes ad factum suum, non per extraneas, & non attinentes ad negotium.
Argumenra nonnulla proponuntur à parte opposita, & à dicto Morono destruuntur, & referuntur tandem ad hoc vnicum,quod dignior præferendus est minus dignis. Sed hæc propositio intelligitur, vbi in contrarium aliter non sit dispositum, & vbi non statur prioritati temporis,& antianitatis,vt dixi superius multis in locis, & præsertim q. 10. num. 40.

Quæres 201. An Capellanus Confraternitatum præferatur illis vbiq;?

540 ℞. Præferendus est etiam eorum Priori in processionibus, & alijs actibus, Tum quia Sacerdos simpliciter est dignior quouis laico,cap.solitæ,§.Fecit Deus; de maior.cap.Duo sunt,dist.96.& id patet supra sub num. 42. Tum quia in processionibus quilibet clericus præcedit quodlibet corpus societatis laicalis. Tum quia eorum est Rector, & Pater Spiritualis, ergo illi subesse debent, & deferre honorem.Quando habetur inter ipsos Congregatio tunc sedet immediate post Priorem laicum confraternitatis, quia ibi

est

est tunc Capellanus vt alter confrater, & vt membrum illius capitis. In receptione ad Confraternitatem sacerdos tenet digniorem locum, quia tunc fungitur suo officio sacerdotali.

Quæres 202. Quomodo sedent Prior Conuentus, & Assistens laicus cum Priore Confraternitatis in Congregatione, quando tractant negotia confraternitatis.

541 ℞. Dominus Prior Confraternitatis digniorem locum, quia ibi caput est, & post ipsum immediate ad dexteram sedet Superior Monasterij, in cuius Ecclesia erecta est Confraternitas, ad sinistram vero Assistens, ea ratione in ordine ad reliquos, quia ibi assistunt nomine suorum Principum, qui cæteris maiores sunt, cumq; repræsentent eorum personas, quasi vt illi honorandi sunt, ex cap. fin. dist. 95. Dico *quasi*, quia primum locum non occupant. Præfertur vero Ecclesiasticus Laico, sicut præfertur Papa, seu Episcopus Principi laico, quos quilibet eorum repræsentat respectiue. An Assistentia Laici nomine Principis secularis sit licita? Nescio, quo iure, cum laici debeant silere in negotijs ecclesiasticis; & sicut in negotijs, & consilijs ciuitatis non admittuntur clerici, qua ratione laici se intrudunt in tractatibus ecclesiasticorum?

Quæres 203. De præcedentia Aduocatorum Consistorialium?

542 ℞. Sixtus V. in sua Bulla 62. incip. *Sacri Apostolatus*, ita scriptū reliquit. *Ac vt Collegium, & Aduocati huiusmodi, qui maioribus occupationibus detinentur, maioris etiam dignitatis titulo decorentur, omnibus, & singulis prædicta Aulæ Consistorialis aduocatis, vt ipsi vniuersos, & quoscumq; Aduocatos, Procuratores, Doctores etiam antiquiores, & quoscumq; alios, tam in Romana Curia, quam extra eam, præcedant.* Vide de istis agentem Vestrium in pract. Romanæ Curiæ lib. 2. cap. 18. Petrum Gregorium lib. 49. Syntag. iuris cap. 6.

Quæres 204. An Ecclesia Lateranensis Romæ præemineat omnibus alijs?

543 ℞. Affirmatiue, ex Bulla incip. *Super*, Gregorij XI. quam confirmauit Sixtus V. in sua incip. *Infirma aui condnio.* De quibus Barbosa in Decis. Apostol. Collect. 271. num. 3. Sed quare hæc Ecclesia præeminet alijs etiam S. Petri in Vaticano? Quia ex dictis Pontificibus illa est Patriarchium Romanorum Pontificum,

&

&illorum sedes,& quidem stabilis,quia ante Constantinum pijssimum ob persecutiones Romani Pontifices certam sedem,& patentem non habebant pacificam , sed modo huc , modo illuc discurrebant, vt persecutores nominis Christi declinarent, ideo dictus Imperator,Ecclesię reddita pace eam Ecclesiam Lateranensem in suo palatio fundauit ,& erexit cum S. Siluestro. Dic prætera, quod sicut S. Ioannes Baptista Domini Præcursor est maior inter natos mulierum , ita condecens est, quod prima Ecclesia pualice constructa in eius honorem dicatur alijs maior.

Quæres 205. An Canonici S. Ioannis Lateranensis prçferantur Canonicis S.Petri Romæ?

544 ℞. Sic,ex citata constitutione Sixti V. incip. *Infirma aui conditio.* ea forsan ratione,quia decens est,vt membra sequantur suum caput.

Quęres 206. De prçcedentia Fratrum militum S.Ioannis Hierosolimitanorum?

545 ℞. Isti Fratres inter se præcedunt non à tempore professionis, sed ius antianitatis incipiunt habere à prima die pręsentationis probationum , quæ postea fuerint declaratæ bonæ , & validæ ; vt autem eis curat, debet constare de solutione pecuniarum , quam appellant *Passaggio*, Thesauro religionis facta. Ita Ludouis. decis. 341. & 499. Præcedentia inter Baliuos Capitulares , & Milites magnæ Crucis attenditur per Antianitatem , & non per aliam rationem,decisum refert ex Aldano in suo Compend. Canon. resolut.lib.3.tit.6.num. 8. Barbosa in Decis. Apostol. collect.590. num. 12. In promotione ad Magnam Crucem habetur ratio meritorum,non antianitatis,ex Bulla Pauli V.incip. *Accepimus.* Magnus Magister præfertur omnibus Melitæ etiam Episcopo suo, propter eminentiam , & dominium in eo loco. Episcopus vero illi adhæret,Caputaq;part. 1.decis.307. & part.2. decis.357. Prçcedentia antianitatis non est seruanda inter Milites diuersorum ordinum , sed tantum inter Fratres eiusdem ordinis, refert decisum Aldanus apud præcitatum Barbosam num. 11. Alioquin cum is ordo præ cæteris sit antiquior omnibus Militaribus præferendus est , non autem alijs claustralibus propter dignitatem clericatus. Vide infra num. 519.

Quæres 207. De præcedentia seruanda in synodis?

546 R. Primus locus debetur Episcopo, quia illius est caput, ad quem spectat etiam absq; consensu, & consilio Capituli indicere, & publicare synodum, in eius tamen celebratione debet petere consilium, licet non sequi, vt docet Bonfadinus in suo Thesauro eccles. decis. resolut. 52. num. 10. & 11. Eidem Episcopo immediate iungitur capitulum, hoc est, Dignitates, & Canonici, quia vti eius membra sunt inseparabilia ab illo, cap. 1. dist. 12. cap. Nouit, 4. de ijs qui fiunt à prelat. consequenter constituunt primum gradum in ordine ad sedendum; sicut filij cum patre componunt primum consanguinitatis gradum. *Secundus locus*, assignatur Abbatibus, qui post Episcopum censentur habere secundum locum, quia Capitulum Catedralis non facit numerum alium ab Episcopo ex dictis. Præferuntur autem Exempti non exemptis argum. eorum, quæ dicuntur cap. Vt apostolicæ 6. de priuileg. in 6. *Tertius locus* datur Collegiatæ Canonicorum, qui dicuntur clerici secundi generis, seu ordinis, qui præponuntur Curatis Innoc. in cap. Fraternitatē, de sepult. Et inter plures preferetur insignior, aliæ secundum antiquiorem institutionem, quia ex vulgatis iuribus, qui prior est tempore est etiam potior iure. *Quartus locus* est Priorum. *Quintus* debetur Plebanis, & Archipresbiteris. *Sextus* tribuitur Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum iuxta eorum antiquitatem. In aliquibus locis Parochi ciuitatis præferuntur Ruralibus. *Septimus*, Vicarijs perpetuis Parochialium, & Coadiutoribus. *Octauus demum* datur beneficiarijs, & subsequenter alijs clericis carentibus beneficio. Si qui sunt Regulares subiecti Episcopo obtinere debent locum post collegiatam vltimam secularem, quia & ipsi collegium habent, merito præferuntur reliquis non habentibus collegiatam. Parocho regulari debetur præcedentia inter alios Parochos, reiecta conditione religionis, quia ibi spectatur vt Parochus, ac proinde vtitur eodem iure, quo cæteri Rectores. Immo si ecclesia sit Archipresbiteralis vnita monasterio cum omnibus suis iuribus in eo casu Regularis consequitur locum in ordine Archipresbiterorum, quia reuera est Archipresbiter ex suppositis functionibus.

547 Sed quid dicendum est de Vicario Generali? Certum est, quando abest Episcopus, & in eius est potestate Indicere, congregare, & regulare Synodum, ipsum obtinere primum locum, cum tunc

P sit

sit caput, superior, & iudex omnium in synodo congregatorum, & tenet vices Episcopi, quem repræsentat, & cum eo facit vnum tribunal, siue sit Canonicus, siue non. Præsente vero Episcopo non sedet medius inter Episcopum, & Canonicos, quia est contra naturæ ordinem; quod membra sint seiuncta à capite, ideo non videtur habere locum hic præsentibus capite, & membris; licet, vt diximus supra, sub q. 186. non Canonicus præferatur Canonicis in omnibus. Et ita videtur dicendum, quia Episcopus cum actu tunc in Synodo fungatur officio suo, silet Vicarius; ac proinde vti talis non habetur in consideratione. Quod si intersit, assignari poterit illi locus prope Episcopum extra lineam Capituli. Negotium hoc doctissime concludit Riccius par. 4. resol. 391. dixi etiam supra num. 510.

Quæres 208. Sub qua Cruce incedere habent Clerici Seminaristæ, & quo loco?

548 ℞. Regulariter Clerici Minorum Ordinum, seu Seminaristæ incedunt sub Cruce eius Ecclesiæ, cuius sunt clerici, quia vti membra licet inferiora sequuntur suum caput, quare Catedralis incedunt sub Cruce Catedralis. Similiter aliarum Ecclesiarum sub Cruce illarum. Quod videtur colligi ex sess. 23. cap. 18. vbi regulantur, & diriguntur à prelatis ecclesiarum, quarum sunt clerici. Quod si in aliquo loco propriam erigant Crucem obtinent infimum locum propter minoritatem ordinum. Absurdum autem nullum est illos incedere sub Cruce Catedralis, ex eo quod sint clerici infimi ordinis, non ideo preiudicium afferunt alijs, quia spectantur vt faciunt vnum corpus cum Canonicis, & alijs, de Catedrali, sicut absurdum nõ est, quod Conuersus Lateranensis ordinis præferatur Abbati Casinensi in processione incedenti, quia non spectatur sub ea speciali ratione Conuersi, sed prout facit vnum corpus cum omnibus collegialiter acceptis, quod est maius, & dignius corpore Casinensi.

Queres 209. Duo decorati fuerunt laurea Doctoratus successiue, sed posterior promotus primo acceptatur, & incorporatur Collegio, cuinam ex his debetur præcedentia?

549 ℞. Prius accepto, & incorporato, quamuis sit posterior in promotione, ratio est, Tum quia per incorporationem quis fit membrum collegij, non per promotionem, videmus enim multos recipere

cipere

cipere lauream Doctoratus,tamen illos non vocari,neque esse de collegio. Tum quia sicut in religionibus præcedentia à professione attenditur,& non à receptione ad probationem ex probatis q. 140. & 141. ita in collegijs præcedentia debetur à die incorporationis, non à die promotionis.

Quæres 210. An instrumentis nominandus sit Papa cæteris Principibus,& Imperatore.

550 ℞. Affirmatiue, Tum quia dignior, & maior primo loco est nominandus, ex l. 1. ff. de alb. scrib. ex quo etiam habetur primo nominatum esse digniorem, ex cap. Si quis 46. de elect. in 6. §. *Is qui primo nominatus*. Tum quia in antiquis instrumentis,& exēplarib. non solum pręfertur Papa Imperatori,& Episcopus,verum etiam Abbas, vt legi in quodam instrumento extenso in opere Matthæi Laureti, cap. 34. agentis de vera existentia corporis S. Benedicti in Ecclesia Casinensi; & illud instrumentum fuerat confectum per Notarium habentem vtramq; potestatem, Abbatialem, & Imperatoriam conficiendi instrumenta.

Quæres 211. Vter ex duobus Ordinarijs secularis, an regularis primo subscribat licentiā personis volētib. colloqui cū monialib.

551 ℞. Superior Regularis,quia monasterium est illi magis,& proximius subiectum, cum ab eo gubernetur, ergo cum ipse meliorē habeat cognitionem status monialium,& vt plurimum,seculariū, & regularium accedentium ad colloquendum,ad eū prius pertinebit disponere licentiam, & ad Vicarium Episcopi perficere. Confirmatur id,quia in Bulla incip. *Decori, & honestati*, Pij V. prius nominatur Superior Regularis, quam Ordinarius in concedenda licentia monialibus exeundi in casibus ibidem expressis, ergo idem dicendum in casu nostro. Neque id absurdum est, quod prius subscribat Regularis, quam Episcopus, quia subscriptio Regularis est quasi dispositio ad licentiādum respectiue ad Episcopum,qui demum sua subscriptione vltimam quasi formam inducendo perficit licentiam quasi inchoatam.

Quæres 212. De præcedentia Episcoporum in Concilijs Generalib. & aliorum Prælatorum, & personarum illuc concurrentium?

Concilijs Generalibus intersunt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij, cuiusmodi sunt Generales ordinum, eorum Procuratores, Theologi, Canonistæ, Legistæ, Notarij, &c.

552 ℞. Primum locum tenet Summus Pontifex, qui est caput totius ecclesiæ repræsentatæ per prælatos, & alios in Concilio congregatos. Si Papa absit, digniorem locum tenent tres Legati Sedis Apostolicæ, qui repræsentant Romanum Pontificem, & eius locum in eodem tenent, cap. fin. dist. 93. Secundo loco sedent Patriarchæ, Deinde Archiepiscopi, postea Episcopi; item Abbates seculares magni habentes iurisdictionem Episcopalem, Generales Ordinum, Theologi, Canonistæ, Doctores Legum, & alij officiales. Oratores Ecclesiastici sedent ad dexteram Legatorum, Seculares vero ad sinistram. Iste ordo colligitur ex varijs concilijs. Singuli autem eiusdem ordinis præcedunt se inuicem iuxta tempus suæ promotionis, secundum Ius commune, cap. fin. dist. 17.

Quæres 213. Quem ordinem seruent inter se Episcopi in Concilijs Prouincialibus?

553 ℞. Metropolitanus, seu ille Episcopus, qui eius locum tenet, & vices gerit, primatum in omnibus tenet, ex cap. Placuit 1. dist. 18. Est enim caput, superior, & iudex maior in Concilio, alij Episcopi ideo vocantur suffraganei, quia illi suffragari, & adiuuare tenentur in omnibus, quæ spectant ad directionem, & perfectionem Concilij, consequenter etiam ordo precedentiæ singulis seruandus spectat ad concilium, cuius Episcopi in hoc suffragantur, deferendo reuerentiam suo capiti. Episcopi autem se inuicem præcedunt secundum tempus suæ ordinationis ex cap. fin. dist. 17. Quaranta v. Concilium Prouinciale q. 22.

Quæres 214. An Referendarij preferantur Canonicis, & alijs? Horum magna sunt priuilegia expressa in diuersis Bullis, quas citat Barbosa in suis Decis. Apostol. collect. 631.

554 ℞. Preferuntur extra Ecclesiam Dignitatibus, & Canonicis, prout decisum refert idem Barbosa ibidem, propter insignia Pontificia, quæ deferunt, prærogatiuam nobilitatis, & quia creantur Comites Palatini, & vbique beneficia obtinere possunt.

Queres 215. De precedentia Protonotariorum? Isti diuiduntur
555 in duas classes. Nam alij vocantur Protonotarij de numero participantium, & sunt duodecim familiares, & domestici Prelati Papæ, panem quotidie, & vestes in coronatione, & morte Pontificis, atq; locum tenent inter caualcatas, spurios legitimare, & notarios creare possunt, exempti cum suis familiaribus à iu-

risdictione Ordinariorum, ex Bulla Sixti V. incip. *Romanus*. Alij vero supra numerum prædictum vocantur titulares fere nullius potestatis, ideo solo nomine, & veste contenti sunt.

556 ℟. Protonotarij participantes præcedunt Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium, etiam S. Ioannis Lateranensis de Vrbe. Ita decisum referunt Ioan. Anton. Nouarius tit. de Pronot. num. 5. Theodos. de Rubeis in singul. Rotæ tom. 2. part. 4. tit. de præced. Protonator. fol. 487. Barbosa in decis. Apostol. collect. 616. num. 6. In Capella Sanctissimi præferuntur Sacristæ, & Abbatibus vsum Mitræ habentibus, decisum apud præcitatum Barbosam. Protonotarij titulares locum supra, nec infra Canonicos, prout decisum refert Sellius in selectis Canon. cap. 36. num. 5. apud Barbosam collect. 617. n. 7. Eisdem vero Canonicis prout singulis præfertur, decisum refert Barbosa citatus, & in lib. 1. de iure eccles. cap. 23. num. 24. Sedent autem post Abbates, de qua decisione idem Barbosa cit. lib. cap. 33. num. 26. & in collect. cit. num. 17. Cedunt vero locum Episcopis in Capella Papæ, & alibi, ex Bulla Pij II. incip. *Cum seruare* 4. his verbis:

Mandamus vt Notariorum nostrorum, quos vulgo Prothonotarios quasi per excellentiam quondam non abs re consuetudo vocitat, nullus deinceps Episcoporum venerando, sanctoq; ordini tamquam honorabiliorem sese audeat anteponere. Sed in Capella quidem nostra in branco seu scamno secundo post Episcopos seorsim sedeant, secundum ordinem institutionis eorum. In Consistorijs vero publicis, vbi de rebus, quæ gerunt vt authentica conficiant documenta rogari consueuerunt, quatuor ex eis, qui numerarij dicuntur, aut ipsis absentibus totidem ex alijs secundum institutionem eorum seniores, iuxta gradum Apostolici solij honorabiliorem teneant locum, sediq; nostræ proxime assideant. In alijs autem locis, tam in Curia, quam extra vbique gentium, atq; terrarum Archiepiscopos, & Episcopos omnes Notarij nostri sequantur, eiq; cedant. Et quod in Episcopis sancimus ad Ecclesiam Catedralium auctoritate Apostolica electos pariter, & confirmatos extendimus. Res est clara, vt patet adeo quod locum cedere debent non solum Episcopis consecratis, sed etiam nondum consecratis, modo sint confirmati, quod etiam intelligendum est de Episcopis titularibus, qui non minus sunt Episcopi, quam alij, solo enim carent populo in actu, quod eis nocere non debet, cum hæc priuatio non proueniat ex eorum culpa.

Queres 216. An laicus in aliquo casu præferatur ecclesiastico sacerdoti, seu prælato? Certum est laicum regulariter non esse preferendum clerico, quia absurdum est, quod minor preferatur maiori, ex allatis sub n. 101. Clericus autem est maior laico, cap. 1. dist. 8. cap. Quis dubitet, dist. 96. cap. Duo sunt 12. q. 1. Ludouis. decis. 310. num. 3. & 4.

557 ℞. Aliquando laicus prefertur clerico, & hoc ratione alicuius circumstantię, & officij, vt apparet in laicorum collegijs, congregationibus, consilijs, &c. in quibus laicus, & Rector, seu caput, tunc clerici, si qui sunt, vti membra collegij sedent in loco suę receptionis sine vllo respectu ad clericatum, qui tunc non attenditur, sed antianitas temporis. Neque id absurdum est, attentis conditionibus capitis, & membrorum, atq; temporis antianitate. Et id confirmo ex Rubricis Ecclesiasticis; nam in Missis e.g. votiuis B.M. V. aliquando prefertur oratio alicuius Sancti etiam simplicis, de quo illo die recitatum fuit officium, orationi de Spiritu Sancto, cui tribuitur tertius locus, ergo à fortiori idem dicendum in casu nostro. Ita ex decis. Seraphini in Calaguritana præemin. Ludouis. decis. 510. num. 6.

Queres 217. Est vsus in Ciuitate N. quod à Parocho simul cum Regularibus, in quorum Ecclesia, defunctus sumulandus est, recitetur pro eo officium defunctorum in eadem Ecclesia Regulari. Cuinam debetur locus dignior, & innitium ponere officij?

558 ℞. Vtrumq; spectat ad Parochum, quia quandocumq; alicui competat officio, & parato cum ornatu clericali facere aliquod officium in Ecclesia Regulari, ille debet habere digniorem locum, & incipere officium, ex dictis num. 217. sed ad Parochum spectat cantare Vigiliam pro suo defuncto, id enim regulariter fit à Curatis in suis Ecclesijs, quare si quandoq; id ex consuetudine seruatur in Ecclesijs Regularibus, tunc etiam in illis Parochus ius suum retinet. Et qui incipit, perficere habet, cap. Nullus Episcopus 56. dist. 1. de consecr. gl. v. compellantur cap. 58. de elect. Non ideo tamen in deferendo funere cadaueris Parochus ingredi potest ecclesiam Regularem ad perficiendum officium, quia illud complendum est à Regularibus.

Queres 218. An habens digniorem locum in sedendo in omnibus alijs actibus tunc faciendis preferatur?

559 ℞. Affirmatiue, quia reliqui quodammodo regulantur à primo sessionis. Quare primo loquitur, subscribit, dat suffragium, primo ingreditur, & recedit respectu aliorum, qui posteriores sunt. Vnde ridiculum est, quod quis sedeat secundo loco, & sententiam suam proferat tertio loco, & tertio loco sedens prius loquatur, quam habens priorem locum.

Quæres 220. An Religio, seu Collegium extinctum, si reuiuiscat recuperet antiquam præcedentiam?

560 ℞. Quando restituitur ex iustitia, vt accidit cum restitutio datur ex causa doli, fraudis, metus, &c. tunc restitutum recuperat omnia iura etiam contra tertium. Quando autem restitutio fit ex gratia, restitutus non recuperat omnia iura, non quæ sunt contra tertium, ideo neq; præcedentiam, nisi Princeps restituens, se declaret. Ita Contelorus de præcedentia num. 38.

Queres 220. An expulsus à collegio, seu qui renuntiauit, si restituatur, recuperet priorem præcedentiam?

561 ℞. Negatiue, nisi restituatur ille ex iustitia, iuxta dicta in præcedenti quæstione. Probatur ex lib. 2. ff. de decurion. illis verbis: *Qui ad tempus relegatur est, si Decurio sit, desinit esse Decurio, rursus plane locum suum non obtinebit.* Vbi Bartolus dicit, quod Doctores expulsi à collegio restituti non recuperant antiquam præcedentiam contra posteriores, qui incorporati fuerunt collegio post illius expulsionem, reputantur ergo ac si primo peterent incorporari collegio. Ita etiam docent Iason. in l. Gallus, §. Et quid si tantum, ff. de liber. & posth. num. 71. Decius in l. cum quid, ff. si certum petat. nu. 11. De Canonico renuntiante habetur ex cap. Ex insinuatione 26. de simon. Contelor. de præced. num. 40. Selua de benef. part. 3. q. 31. num. 2. ex vulgatis iuribus, quod remittentibus actiones suas non datur regressus ad illas.

Quæres 221. An Præpositus habens stallum in choro, & locum in processionibus immediate post Canonicos possit occupare locum, seu sedem canonici absentis?

562 ℞. Affirmatiue, quod Præpositus, siue plures sint, potest occupare sedem vacuam ob mortem, vel absentiam Canonici vltimi, licet Præpositus assignatam habeat sedem propriam, & indiuiduam certam. Ratio est, quia in choro, & processionibus attenditur vnitas personarum, itaut nihil inter eas mediet, neque locus vacuus,

cuus, in choro quidem, quia quo clerici vnitim diuinum recitant officium, eo concordes magis sunt in prolatione psalmorum, vnde dixit Decanus decis. 197. num. 4. referente Merlino in vna Valentina iuris sedendi 16. Decembris 1633. quod in choro non debet esse aliqua dispersio, sed coniunctissima vnitas. In Processionibus vero, quia disiunctio, & locus vacuus ostendit difformitatem, & arguit indecentiam contra naturam Processionis, quæ est ordinata incessio ecclesiasticorum duplicata successione sine vlla diuisione. & interruptione superiorum ab inferioribus. Quare ex his infertur, Prepositum, siue quemlibet alium præcedentiam habentem post Canonicos, coniungi posse, & debere cum illis, quibus postponuntur. Confirmatur, quia qui habet præcedentiam inferiorem dicitur sequi alium habentem illam in loco superiori, sed inter vtrumq; nihil mediare debet, aliter non diceretur vnum alteri præferri, si tertium mediaret. Demum præcedentia cum sit relatiua vnius ad alium inuoluit inter extrema immediationem, & rationem prioris, & posterioris, quare cum inter immediata nihil interponitur, neq; inter prius, & posterius, necessario sequitur quod in ratione præcedentię personæ debēt coniungi, seu approximari. Neque obstat sedes certa assignata, quasi ab ea ascendere non possit ad maiorem, quia assignatur ea in respectum ad numerum Canonicorum, quando omnes choro intersunt, aliter si sedes esset immobilis ex parte sessoris, sequeretur absurdum, quod Canonicus ex voluntate Summi Pontificis. vel alias adiunctus numerarijs careret sede, aut quod chorus materialis esset augendus additione nouæ sedis, cui non esset situs, cum chorus semper sit perfectus, & absolutus, quo ad ordinem sedium. Vagantur ergo clerici per sedes vacuas absq; præiudicio aliorum, cum absunt.

Queres 222. An per actus facultatiuos acquiratur præcedentia?

563 R. Non, nisi illi facti fuerint per longissimum, & continuatum tempus, quia illi nullum ius ex sua natura aquirunt agenti, ergo neque ius præcedentiæ. Ita Cęsar de Grassis decis. 1. de causa possess. Seraphin. decis. 212. num. 2. decis. 323. num. 4. Ludouis. decis. 162. in Addit. Tomasius de præcedent. n. 483.

Quæres

Quæres 223. An Doctor præferatur non Doctori? e.g. An Episcopus, Canonicus Doctores postponantur non Doctoribus Episcopis, & Canonicis, &c.

564 ℞. Affirmatiue, quia dignitas dignitati superaddita, licet minoris conditionis, debet aliquid operari relatiue ad eum, qui vnica tantum dignitate ornatus est. Intellige, nisi attendatur tempus incorporationis, & possessionis præcise, tunc enim superueniens dignitas extra sacerdotium, non attenditur, quia prima causa præcedendi fuit possessio loci, ideo illa sola vt potentior attendenda est. Et sic intelligendus est Felin. in Rubr. de maior. nu. 2. dum Episcopum Doctorem præfert non doctorato, Mastrill. decis. 170. n. 13. cum alijs loquentib. de Episcopo, & Canonico, Vide Riccium par. 3. resol. 271.

Quæres 224. An fæminæ supra masculum debeatur præcedentia?

565 Videtur quod non. Tum quia maior est masculus fæmina, quæ dicitur homo occasionatus ab Aristotele. Tum quia per testiculum dextrum generatur masculus, per sinistrum fæmina. Tum quia masculus in vtero matris iacet ad dexteram, fæmina ad sinistram, Celius lib. Antiquit. cap. 54. & 55. Tum quia in Genesi cap. 1. num. 27. nominatur prius masculus, quam fæmina. Tum quia masculus primo factus fuit à Deo, fæmina ex costa hominis, ex Genesi cap. 2. num. 22. Tum ab ætimologia nominis, nam homo dicitur vir à virtute, & vigore, fæmina seu mulier à mollitudine suæ naturæ fragilis. Vide alia plura, & pulcra apud Cataloc. G. M. par. 11. consid. 4. quib. probat Masculum in omnibus præferri fæminis.

566 ℞. Praxis est in contrarium nam vbiq; mulieri ceditur semper manus dextera in ambulando, stando, & sedendo, & hoc indifferenter omnib. ab omnib. Ratio est, quia fæminæ sunt multæ ambitiosæ, & in postulatis facile masculi succumbunt ob interesse, & in omnibus solent complacere mulierib. vnde mirum non est, si illis locum dexterum cedunt. Facit ad hoc illud prouerbium: *Detur pulcriori*, quod de muliere intelligitur, species enim digna est imperio, ideo propter earum pulcritudinem ceditur manus dextera. Rex Hispaniarum manum dexteram Reginæ vt michi dictum fuit non tribuit? Quare hoc, contra communem vsum? Aliã rationem nescio assignare, nisi quia sicut Hispani in omnibus alijs procurant discrepare à Gallis, ita & in hoc.

Quæ-

Quæres 225. An Archiepiſcopus præferatur Legato à latere, vel ſaltem Vicelegato in eodem Archiepiſcopatu?

567 ℞. Archiepiſcopus cedit locum Cardinali Legato, non vero Vicelegato. Ratio illius eſt, quia vbique defertur dignitati Cardinalitiæ, & in tantum eſt Legatus à latere, inquantum eſt Cardinalis, ergo ei cedere habet Archiepiſcopus etiam vt talis eidem inferior eſt, & ſubditus. Vnde Archiepiſcopus non poteſt vti Cruce, nec Mozeta præſente Legato in ciuitate, ex Aldano in compend. Canon. reſolut. lib. 1. tit. 8. num. 23. Barboſa ad cap. 5. ſeſſ. 6. num. 17. Huius ratio, quia Vicelegatus licet repræſentet perſonam Legati, & honorandus cõſequenter ſit ſicut Legatus ex cap. fin. diſt. 93. tamen non tanti honoris dignus eſt, quanti ipſe Legatus, ex notatis per Nauar. conſil. 7. & 8. de maior. conſequenter cum poſt Legatum maior ſit Archiepiſcopus, is præferendus eſt Vicelegato in omnibus eccleſijs, proceſſionibus, pace, thurificatione, &c. Ex eodem Aldano. Barboſa in deciſ. Apoſtol. collect. 723. Vide ſupra q. 75.

Quæres 226. An Magiſtratus abſente Epiſcopo, ac proinde Canonicis in choro reſidentibus, dum canitur Miſſa, poſſit occupare locum Canonicorum, qui tenent locum extra chorum præſente Epiſcopo?

568 ℞. Certum eſt omnino non poſſe ſedere, neq; genuflectere, aut ſtare in choro; quia id laicis abſolute interdictum eſt, ex cap. 1. de vita, & honeſt. cler. Neque etiam proprium locum ad partem ſiniſtram deputatum relinquere poſſunt, accedendo ad dexteram, licet Canonicis non occupatam, ratio eſt, quia habent ſedem certam, & immutabilem, ergo eam conſeruare debent, & alienam non vſurpare. Quod procedit vbique, ſiue ad Miſſam, & Veſperas, ſiue ad Concionem, vel in proceſſionibus. Atq; Magiſtratus incenſatur poſt Canonicos, vbi vnicum eſt Thuribulum, vbi vero ſunt duo, incenſato Canonico primo, ſeu dignitate, incenſatur ſucceſſiue Magiſtratus. Vide Barboſam in ſuis Deciſ. Apoſtol. Collectan. 460.

Quæres 227. An dignitate ornatus cum adminiſtratione præferatur dignificato ſine adminiſtratione?

569 ℞. Affirmatiue, quia dignitas cum adminiſtratione refertur ad ſubditos, eſt autem maior, & dignior habens ſub ſe ſubditos,

quam

quam illis carere, ergo præfertur. Ita ex l. 2. C. vt dignit. ord. feru. lib. 12. Iason. consil. 192. lib. 2. Natta consil. 638. ex illis Tomasius de præced. num. 439.

Quæres 228. An Canonicus nobilis præferatut ignobili?

570 ℞. Negatiue, ex probatis q. 29. num. 125. Pancirol. consil. 162. num. 12. cum alijs citatis à Tomasio de præced. num. 357.

Quæres 229. De præcedentia Archiducum, Ducum, Marchionum, & Comitum?

571 ℞. Prædicti præferuntur eo ordine, quo numerati fuerunt, & huiusmodi eorum præcedentia colligitur ex ordine literæ Rubr. *Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, &c.* Vide Catal. G.M. part. 5. consider. 44. vsq; ad finem, Tomasium de præced. à num. 90. Et sicut Archidux præfertur Ducibus, vt Archiepiscopus Episcopis, nam iste est caput Episcoporum, & ille caput Ducum, ita Magnus Dux simplices Duces, consequenter in Italia Magnus Dux Florentiæ, & Etruriç cçteris prçferendns erit.

Quæres 230. An Definitor, & Prior concurrentes in extraneo conuentu propriç prouinciç prçcedant vnus alteri?

572 ℞. Quando Definitor est actualis subditus Prioris, tunc si ambo reperiuntur extra proprium communem conuentum, in eo casu Prior prçfertur Definitori, quia subditus vbique tenetur honorare suum superiorem, neq; ex eo, quod superior est extra suũ conuentum desinit esse superior suorum subditorum, vbicumq; reperiantur. Si vero Definiror non sit illi subditus, prçfertur Priori, quando ambo reperiuntur extra proprium conuentum saltem Prior, eo quod iste censeatur persona priuata, ex dictis q. 172. Definitor vero talis sit in omnibus conuentibus suç prouinciç, Prior vero solum in suo conuentu, ideo extra non spectatur quaiitas Prioratus. Idem dic de alijs officialibus, vnde Discretus Prouincialis, & Custos in omnibus conuentibus suç Prouinciç prçferuntur Prioribus, qui non sunt actu illorum superiores, ob adductam rationem.

Quçres 231. An Miles Hierosolimitanus ratificando professionem perdat antianitatem?

573 ℞. Negatiue, quia prçcedentiam non aquirit per professionem, sed per exhibitionem probationum suç nobilitatis, & legitimitatis, vnde cum à professione præcedentia non habeatur, an-

tianitas

tianitas non perditur per professionem nullam, nisi nullitas proueniat ab aliquo defectu probationum legitimitatis, aut nobilitatis. Vltra autem quinquennium nulli lis moueri potest super Antianitate, iuxta statutum 25. & ordinationem 11. vt videre est in eorum constitutionibus.

Quæres 232. De præcedentia M. Magistri Melitensis? Nonnulli dixerunt parificari Cardinalibus, immo & illis esse preferendum. Sed de hac re nullam adducunt rationem. Quod aiunt insigniri titulo Eminentissimi, michi non constat, illum ita vocatum fuisse à Sede Apostolica, ad quam spectat dare titulos honoris, quia nemo sibi honorem assumere debet, sed qui tantum vocatur.

574 ℟. Magnus Magister, & alij Supremi Superiores ordinum Militarium non præferuntur Cardinalibus. Tum quia isti non sunt Fratres, neque membra, aut pars corporis Papæ, sed quid inferius, & filij Papæ. Tum quia licet sint personæ ecclesiasticæ, non tamen clerici, sed vocantur laici ad differentiam clericorum, Garz. par. 1. de Benef. cap. 4. num. 9. 10. & 13. apud Franc. Ansaldum consil. 14. num. 45. ergo preferendi non sunt Cardinalibus, qui non tantum Ecclesiastici sunt, sed etiam dignitate clericali cohonestantur, quâ caret Magnus Magister. Tum quia suæ Religionis Generalis est, sicut tales sunt Generales aliorum ordinum, qui non præferuntur Cardinalibus, immo neq; Episcopis, ergo idem dicendum de Militaribus. Tum quia non possunt vti iurisdictione spirituali proprie dicta cum ordinibus careant, ergo sunt inferiores. Miror cum Maltensis M. Magister, qui in rigore est religiosus non sit saltem prima tonsura ordinatus, vt possit suos Fratres censuris, & alijs pænis ecclesiasticis coercere, maxime cum in hoc ordine distinguuntur tres gradus Militum, Capellanorum, & Seruientium, quorum perfectionis debet in se continere, ac proinde qualitatem clericalem, qua tamen caret.

Quæres 233. In ordine Minorum de Obseruantia extat Decretum, quod Excustodiati præferuntur Exdefinitoratis. Modo N. Prouinciæ Pater Excustos habens ius præcedendi Exdefinitoribus ex præfato priuilegio, Quæritur an ex non vsu, seu etiam cessione priuilegij sibi præiudicauerit non solum respectu eorum, quibus cessit; verum etiam respectu aliorum, quibus non cessit, maxime

respectu

respectu futurorum, qui nondum sunt Exdefinitorati, siue cesserit iuribus suis ex importunitate eorum, ad euitandas contentiones, & rixas, siue aliter?

576 Respondetur, P. N. ex non vsu sui priuilegij non perdidisse ius præcedentiæ. Vtique vero illud perdidisse ex cessione priuilegij solum respectu illorum, quibus illud actu cessit in indiuiduo. Cessionem pariter sortitam fuisse suum effectum, licet procuratam ex importunitate aliorum. Intellige, modo ea cessio semper fuerit facta ex rigore cedendi, non ex vrbanitate, in quo casu præfato P. Iacobo non præiudicaret. Singulæ partes probandæ sunt.

577 Prima pars de non vsu non præiudicante probatur. Tum quia in his, quæ sunt mere facultatis, facultas agendi non perditur, licet priuilegiatus non fuerit vsus facultate, & priuilegio, l. Viam publicam ff. de via publ. gl. v. in anno, cap. Vt priuilegia, de priuileg. Bald. lib. 2. consil. 291. sed præcedentiæ hoc priuilegium est mere facultatiuum, cum sit in libera facultate priuilegiarij eo vti, vel non vti, nemo enim cogitur vti suo priuilegio, cap. Si de terra, cap. Accedentibus, de priuileg. Tum quia quandocumque alicui competit facultas faciendi aliquid, quod habet tractum successiuum, & debet exerceri per actus discretos, tunc non vsus non præiudicat quo ad futuros, sed tantum quo ad præteritos, quia quo ad futura, res semper dicitur integra, gl. v. constituitur, l. 1. ff. de vsufr. accresc. Angel. consil. 34. Ciriacus lib. 1. controu. 57. nu. 49. & 62. Tum quia actualis præcedentia fundatur in exercitio illius actus, ad quem illa sequitur, quare si Excustos nunquam exercuit actum sessionis, dationis, suffragij, incessionis, &c. coram aliquo Exdefinitoratorum, ratio nulla suadet, ex hoc non vsu siue voluntario, seu non occasionato, Exdefinitores Patres non aquisisse ius præcedendi supra dictum Religiosum.

578 Secunda pars cessione priuilegij perdi ius præcedentiæ, patet de se; Tum quia quilibet iuri suo renuntiare potest, cum non sit alijs præiudicium, vt non fit in casu nostro. Tum quia cessio præcedentiæ nulli prohibetur, & hic locum habet. Neque in hoc puto esse difficultatem, ita quod primo actu cessionis perditur, sicut per primum actum aquiritur possessio præcedentiæ ex allegatis à Rota citata à Tambur. tom. 3. decis. 1.

579 Tertia pars; quod cessio sortiatur suum effectum solummodo respectu illorum, quibus in indiuiduo fit cessio, probatur. Tum quia cessio, sicut & renuntiatio sui iuris est stricti iuris, odiosa, ac proinde stricte interpretanda est, vt minus lędat cedentem, quam possit fieri, l. Si domus ff. de seruit. Surd. consil. 446. num. 2. Diana part. 4. tract. 4. resolut. 1. §. Ex his. Tum quia sicut res inter alios acta nocere non debet tertio, ita neq; prodesse, ex vulgatis iuribus, neq; enim huiusmodi actio refertur ad tertium, quod non consideratur. Tum quia pręcedentia est de genere relatiuorum, ergo restringitur tantum ad ea extrema, quę respiciuntur per exercitium praecedentiae. Tum quia axioma, quod affertur, himirum, in consortibus eiusdem iuris possessionem vnius alijs prodesse, & pro eisdem conseruari; supponit pacificum ius possessum ab omnibus consortibus, quod hic falsum est, nam licet aliqui Exdefinitoribus ius aquisierint ex cessione sibi facta, non ideo idē ius redūdat in alijs, quia sibi ipsi aquisiuit, cum cessio, vt dixi, sit stricti iuris, agitur ergo de conseruando iure aquisito per illud axioma, in casu nostro agitur potius de aquirendo, & sic non facit ad rem nostram.

580 Quarta pars de importunitate non infringit cessionem factam, quia tenet facta ex importunitate, ex cap. Cum ex iuuentute, de purgat. canon. cap. fin. de rescript.

581 Quinta demum, si cessio processit ex vrbanitate non prędicat sibi cedens, sed reuertitur ad vsum sui priuilegij, probatur ex communi Doctorum asserentium, facta ex ciuilitate, & vrbanitate nullam inducere obligationem, neq; in petitorio, neq; in possessorio, quantocumq; tempore fiant, l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. ibi Doctor in terminis de praecedentia Bariola consil. 29. §. Respondetur primo. Factum autem praesumitur ex vrbanitate, si locus cedatur hospiti, vel incolae aliquibus vicibus, sed non continuate, & in similibus. Haec satis saluo aliorum iudicio.

Quaeres 234. An Reformatus Minorum, qui habuit diuersa officia inter Reformatos, transien ad Obseruantes, gaudeat pręcedentia, quae concedi solet inter Obseruantes similibus officialibus? Ratio dubitandi est, quia Vrbanus VIII. edidit Bullam incip. *Inter grauissimas*. 23. Augusti 1634. noluit, vllum officialem exceptis

Ministro

Ministro Generali, & Commissario Generali Cismontanæ familiæ, finito officio suo posse gaudere aliqua præcedentia, nisi illa, quam habet iure professionis.

582 ℞. Transiens Reformatus ad Obseruantes nullo gaudet priuilegio præcedentię, licet inter Obseruantes pręcedentia sit in vsu apud exofficiatos, ratio est, tū quia Reformatus est incapax pręcedentiæ expleto officio ex citata Bulla, ergo transiens inter Obseruantes remanet cum eadem incapacitate respectu præteritorum officiorum. Tum quia officium illud non assumpsit pro Obseruantibus, ergo inter Obseruantes non est gratificandus. Tum quia huiusmodi præcedentia fundatur in Paternitate aquisita inter Obseruantes, quam non aquisiuit ille Reformatus, ideo nullum ius ad pręcedentiam habet, nisi titulo professionis.

Quæres 235. An Reformatus habens officium pro Obseruantibus, si transeat ad Obseruantes gaudeat titulo præcedentię ex Paternitate?

583 ℞. Affirmatiue, quia iste est officialis Obseruantium accedens ad omnia Capitula, & Congregationes, quæ fiunt inter Obseruantes, in quibus votum, & nulla ratione & talis officialis ius habet, nec votum in Congregationibus reformatarum, cum non sit officialis pro Reformatis, sed totius Prouinciæ, quæ denominatur ab Obseruantia, vt à potiori parte, quare vt officialis pro Familia more aliorum exofficiatorum debet gaudere pręcedentia, finito officio. Rem hanc latius pertractat quidam Religiosus sub nomine P. Francisci Iacobatij V. I. D. in suo libello de hac materia Taruisij impresso anno pręsenti 1648.

Quęres 236. An Iudex Ciuilis preferatur Criminali?

584 ℞. Pręfertur Criminalis, tum quia primum iudicium à Deo factum fuit criminale Genesis namq; cap. 4. Deus puniuit homicidium Caim in personam Abel fratris sui. Tum quia Criminalis Iudex immediate versatur circa obiectum excellentius, quod est corpus hominis. Ciuilis magis super res, & bona illius, & in ordine ad bonum, & quietem corporis, ergo ille huic præferendus est. Tum quia, vt dixit Butrius in Rubr. de iudic. finis iudicij criminalis est vtilitas publica, finis vero ciuilis vtilitas priuata, ergo sicut publicum pręfertur priuato, ita Iudex Criminalis anteponitur Ciuili. Nichilominus Parmę habetur constitutio, seu statutum

tum

tum tribuens præcedentiam illi, qui primo promotus fuit ad Doctoratum illis verbis:

585 *Et hi omnes, & singuli, Præses, vel Proprææses, Gubernatores, & Consiliarij præcedent Prioribus, & Antianis ciuitatum, alijsq; omnibus Magistratibus tam nostris, quam Ciuitatum nostrarum; alijsq; cæteris viris Nobis subiectis quacunq; dignitate præfulgentibus. Volumus enim vt prædictis ea debeatur obseruantia, quæ tali Magistratui veluti personam nostram repræsentanti conuenit. In actibus autem publicis, in quibus Antiani Ciuitatum interuenient post Consilium prædictis succederet immediate ipsorum Antianorum Prior, medius inter Auditores nostros Ciuilium, & Criminalium causarum; ex ipsis autem Auditoribus is digniorem locum obtinebit, qui prius Doctoratus insignia assumpserit, & post eos cæteri Antiani subsequentur.*

Quæres 237. An in Congregatione ordinis S. Augustini promoti ad Magisteriam gaudeant præcedentia super non promotos?

Reuer. Pater Prior Generalis ordinis Eremitarum S. Augustini, cuius religio diuiditur in duas classes; sub vna continentur Prouinciæ, sub altera Congregationes dictæ, obtinuit ab Innocentio X. Pontifice Maximo die 5. Iulij priuilegium in Prouincijs, & Congregationibus Italiæ doctorandi quadraginta eiusdem ordinis professores, quo priuilegio vsus fuit pro vno religioso Congregationis, quem promouit ad gradum Magisterij in Sacra Theologia, contra quem sic promotum contendunt multi Patres Congregationis pretendentes eum non posse gaudere eo priuilegio, quo ad iura præcedentiæ & cæterarum prærogatiuarum, quibus fruuntur promoti Patres in Prouincijs. Petitum autem a me fuit, quid pro veritate ego sentirem? Pro resolutione huius difficultatis præmitto nonnulla.

586 Primo formalia verba priuilegij, quæ sunt hæc: *Tibi vt in Prouincijs, & Congregationibus Italiæ, alijsq; ei adiacentibus, quadraginta dicti ordinis professores, qui omnibus qualitatibus ad Magisterij gradum per Apostolicas, & ordinis præfati constitutiones, nec non consuetudines, ordinationes, & vsus earum Prouinciarum requisitis præditi esse debeant, in Magistros Sacræ Theologiæ supernumerarios promoueri, illisq; Magisterij, & Doctoratus huiusmodi insignia conferre. Vtq; omnibus, & singulis honoribus, priuilegijs, prærogatiuis, præeminentijs, antelationibus, gratijs, & indultis, quibus Alij eiusdem ordinis in*

Sacra

Sacra Theologia Magistris, de iure, vsu, consuetudine, aut alias quomodolibet vtuntur, & fruuntur, ac gaudent pari modo, & vbiq; differentia, uti frui, & potiri possint, & debeant cōcedere, & indulgere valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatum concedimus, & impartimur, cum derogatoria obstantiarum in forma nimirum Sixti V. & Clementis VIII. cæterarumq; Constitutionum Apostolicarum dicti ordinis etiam iuramento firmatarum in contrarium præmissarum quomodolibet facientium, quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis habentes ad præmissorum effectum duntaxat expresse derogamus. Hoc priuilegium facit pro vnico Magistro, vt fertur, promoto eius virtute prætendente præcedentiam supra Patres antiquos etiam Vicarios Generales Exuicariatos. Pro Vicarijs autem exuicariatis facit quod sequitur.

587 Secundo præmitto Definitionem registratam in Decretis Cōgregationis S. Mariæ Consolationis, cuius instituti est Magister promotus virtute præfati Priuilegij aduersus alios Patres, & Exuicariatos eiusdem Congregationis tenoris sequentis.

Tametsi Magistros in Sacra Theologia Congregatio nostra alias habuit, eosq; insignes, & notos, tamen nos humiliorem vitæ modum amplectentes, prohibemus, nullum vnquam posse Magistrum vocari inter nos, vel apud nos Magistri loco, & exemptionibus quocumq; modo gaudere. Non tamen impedimus quempiam nostrum doctoris insignia in aliqua approbata Vniuersitate posse suscipere, modo in Congregatione, neq; loco, neq; nomine, neq; exemptionibus vllis Magistrorum, vel Doctorum gaudeat. Nemo tamen accedat ad Vniuersitates, nisi sit Lector formatus in Congregatione, non autem Lector ex gratia factus.

Hæc Definitio facta fuit in Capitulo cum alijs, & confirmata anno 1590. Per Priorem Generalem Gregorium Petrochinum Cardinalem Præsbiterum tit. S. Augustini de Mōte Ælparo nuncupatū. Patet clare per hanc Definitionem prohiberi, ne quis professus huius Congregationis valeat promoueri ad Magisterium, adeo quod promotus siue intra ordinem, siue extra, quod non negatur, nullo modo intra religionem suam non potest gaudere loco, nomine, & exemptionibus. Ex quo infertur ex necessaria consequētia P. N. promotum à Reuerendissimo Generali non posse gaudere prædictis prærogatiuis, sed talis haberi, & tractari debet,

qualis habebatur, tractabatur, & honorabatur ante promotionem, cum sit professus huius Congregationis, cuius Decreta, & Definitiones obseruare debet, sicut alij eiusdem professores obseruant; vel obseruare tenentur. Non obstante præallegato priuilegio doctorandi fauore laureati, quod nō obstare probatur.

588 Primo quidem, quia priuilegium loquitur de illis promouendis, qui sunt præditi omnibus qualitatibus ad gradum Magisterij requisitis per Constitutiones non solum Apostolicas, sed etiam Ordinis, per hoc præsupponens Summus Pontifex, quod in ordine, cuius Generali conceditur priuilegium doctorandi, nulla adsit prohibitio, sed omnes sint capaces promotionis, si sint præditi requisitis qualitatibus; constat autem ex prælibata Definitione, religiosos Congregationis prohiberi ab huiusmodi promotione intra religionem, & etiam extra, in quantum promotio illis prodesse non potest, quo ad nomen, locum, & alias prærogatiuas, habetur enim ac si nunquam fuisset promotus respectiue ad alios Fratres, qui in nullo eum recognoscere tenentur, ergo priuilegium assertum non facit pro Religiosis Congregationis, qui sicut prohibentur promoueri per allatam Definitionem; ita Congregatio nullas eisdem præscribit qualitates requisitas ad promotionem.

589 Secundo, qui cupiunt promoueri ad gradum Magisterij, præter requisitas qualitates ex constitutionibus tam Apostolicis, quam Ordinis, debent seruare consuetudines, ordinationes, & vsus Prouinciarum, vt dicitur in eodem Rescripto priuilegij, sed Congregatio super promotione ad gradum Magisterij nullam habet cōsuetudinem, nullam ordinationem, nullum vsum, hoc ipso, quod in memorata Definitione prohibetur principale quod est promotio ad lauream Theologicam, tollens quamlibet consuetudinem, vsum, & ordinationem, quæ possent obesse, & infringere Definitionem, quæ hactenus obseruata fuit à prima sui institutione, & promulgatione, & vsq; modo est in viridi obseruantia, vt probatur per negatiuam promotionem, cum hactenus Generalis pro tempore paucos ex professis Congregationis admiserit ad doctoratum nec recogniti fuerint alijs contradicentib. ac proinde nec præsens legitime dicitur admissus defectu potestatis, quā ad hunc extendere non potuit, cum Rescriptum sit restrictum ad

pro

professos Prouinciarum, & prædictorum promotio nunquam Congregationi fuerit intimata in ordine ad præcedentiam.

590 Tertio, Priuilegium hoc restringitur ad Religiosos Prouinciarum, vt colligitur ex illis verbis: *Nec non consuetudines, ordinationes, & vsus earum Prouinciarum requisitis præditi.* Fratres autem Congregationis non sunt Fratres Prouinciarum, vt notum est apud huius ordinis professores ex præsupposita diuisione eorum in duas classes initio prætactas. Quare cum Religiosi Congregationis non subijciantur consuetudinibus, ordinationibus, & vsib. Fratrum Prouinciarum, de quib. loquitur Priuilegium Pontificium, prædictis repugnat horum Definitio de prohibitione Magistrorum, necessario infertur priuilegium loqui tantum de professis Prouinciarum.

591 Quarto, Priuilegium hoc Generali concessum est de promotione supernumerariorum, quod supponit in Religione esse prefixum certum numerum Magistrorum, quem præterire non liceat P. Generali, quib. deinde ex speciali gratia alij superaddi possint; habet ergo Generalis facultatem numerarijs adiūgere supernumerarios, & non primo promouere; sed in Congregatione non sunt numerarij, cum simpliciter prohibeatur huiusmodi promotio, ergo neq; supernumerarij esse possunt, sequitur ergo quod Rescriptum Papę loqnatur tantū de ordine hoc respectu Prouinciarū, in quib. dantur numerarij, & supernumerari, & non de Cōgregatione, in qua simplicer negatur promotio quorumcumq;

543 Quinto, Papa promotis virtute huius priuilegij communicat omnes honores, gratias, & prærogatiuas, quib. gaudent alij Magistri eiusdem ordinis; sed nulli sunt Magistri in Congregatione, qui possint gaudere his prærogatiuis, prohibente sæpe citata Definitione, sed solum in Prouincijs; ergo Priuilegium emanauit tantum pro Fratribus Prouinciarum, & non pro regularibus Cōgregationis, qui sunt incapaces ex vi Definitionis huiusmodi honorum, & prærogatiuarum.

592 Sexto præterea arguendo à communib. si hoc priuilegium cōprehendit professos vtriusq; classis, est omnino subreptitiū, ac proinde nullum, & inualidum; probatur clare, quia tunc gratia, & priuilegium est subreptitium quando non exprimitur id quod si fuisset expressum nō concederetur, immo negaretur, vt docent om-

nes cum Felino in cap. Super literis de rescr. n. 8. Socinus consil. 260. n. 2. lib. 2. Corneus lib. 1. consil. 245. n. 4. Cassador. decis. 12. num. 14. de præbend. Rota par. 2. in Recent. decis. 739. n. 1. ipso iure enim obtentum nullius est momenti, cap. Ad audientiam 31. de Rescr. ibi gl. v. In irritum, expresse cap. fin. de filijs presbiter. ratio est, quia abest defectus voluntatis non intendentis concedere, quod concedit; sed in supplicatione porrecta, neq; in narratione ipsius priuilegij aliqua fit mentio de prælibata sæpius Definitione prohibente promotionem ad Magisterium, de qua si facta fuisset mentio, certe Papa gratiam non fecisset, intentio enim Summi Pontificis est, vt Statuta conseruatiua disciplinæ regularis, & humilitatis, ad quem gradum perfectionis respicit ea Definitio, omnino à religiosis obseruentur, ergo gratiam non fecisset,
594 si expressa fuisset facta Definitio, sed reuera eam negasset, ergo pro non facta est habenda; neq; enim priuilegia, & gratiæ debent dare occasionem delinquendi, & excitandi discordias, & confusiones gl. v. Delegatis cap. Ad abolendum 9. de hæret.

595 Septimo, Summus Pontifex nunquam intendit derogare iuri alterius quæsito nisi de eo specialem faciat mentionem in suo rescripto, aliter præsumitur subrepritium, inualidum, & nullum, Abbas in cap. Ex parte de offic. deleg. Curt. iun. consil. 170. num. 40. Cephal. consil. 342. num. 72. Papa enim gratiam faciens etiam in forma amplissima, semper intelligendus est sine præiudicio tertij
596 l. 2. C. de sent. pass. & restit. Bartol. in l. Gallus §. Et quid si tantum, ff. de liber. & posth. num. 12. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 24. gl. v. Nec esse debuit cap. Licet 12. de off. ordin. gl. v. Permittat cap. Ex tuarum 5. de auctor. & vsu pallij, cap. Super eo 15. de off. delegati, vbi gl. v. Intentionis, & in hoc nullus contradicit, quia Papa semper intendit vti sua potestate secundum æquitatem, & iustitiam; sed religiosi Congregationis ius habent quæsitum, vt nullus alteri præferatur ex titulo Magisterij fundatum in sæpe memorata Definitione, vt manifestum est, ergo Papa huic iuri præcedentię quod iam extabat ab an. 1590. non derogauit per præfatum priuilegium, ergo non comprehendit alumnos Congregationis. Confirmatur, quia Papa concedendo priuilegium alicui non pręsumitur derogare statutis specialibus, nisi de eis mentionem expressam faciat arg. cap. 2. de constit. in 6.

Instant

Instant Aduersarij primo, quia supradictum priuilegium concessum est Generali exercendum *in Prouincijs, & Congregationibus Italiæ* sunt formalia verba præscripti, ergo emanauit pro omnibus religiosis vtriusq; classis habentibus requisita ad promotionem.

597 ℞. Primo ea verba non esse adæquate dispositiua, sed demonstratiua, quod Generalis est superior supremus Fratrum vtriusq; classis Prouinciarum, & Congregationum, Dico adæquate, quia dispositio restringitur ad Fratres Prouinciarum, quibus non interdicitur promotio ad Magisterium, sicut prohibetur religiosis Congregationis. Secundo, ad euitanda inconuenientia supradicta dispositio, & gratia facta restringenda est ad religiosos Prouinciarum, verba enim generalia non sunt extendenda ad ea, de quibus non fuit dictum, nec cogitatum, gl. fin. cap. Ne quis arbitretur 14. 22. q. 2. per iura ibi allegata, Barbosa Vaz de locis commun. lit. V. num. 24. & verba generalia restringuuntur ad habilia l. Vt gradatim §. Et si lege ff. de muner. & honor. Iason. l. 2. §. Prætor ff. Qui satis dar. num. 3. Sanch. lib. 7. disp 37. num. 32. constat autem Fratres Congregationis per eam Definitionem esse inhabiles saltem quo ad effectus consequentes promotione.

Instant secundo, supradicta omnia in argumẽtis à primo ad sextum, allata licet sint vera inspecta Definitione præcitata, verum enim est, quod Congregatio nullas qualitates præscribit promouendis, quia nullos promouere potest, ex supposita prohibitione; nec consuetudinem aliquam, aut ordinationem, seu vsum habet in contrarium Definitioni, quia hęc seruatur; nec inter eos datur gradus numerariorum, nec supernumerariorum, cum nulli admittantur; nihilominus cum ea omnia requisita sint in Constitutionibus Generalibus, in quibus præscribuntur requisitæ qualitates promouendorum, bene intelliguntur etiam pro Fratribus Congregationis, qui subsunt constitutionibus Generalibus totius ordinis, consequenter disposita in priuilegio æque communia sunt professis vtriusq; classis, licet habito respectu Definitionis non videantur extendi ad professos in Congregatione, ad fruendum ergo huiusmodi priuilegio sufficit, quod vtantur Generalibus constitutionibus.

℞. Argumentum nihil probare, quia supponit Congregationem esse subiectam omnibus Constitutionibus totius Ordinis, quod

tamen falsum, nam alumni Congregationis tenentur seruare solum illas Constitutiones, quæ non aduersantur eorum Definitionibus, vt colligitur ex tenore illarum, de quibus sol.

Et facit axioma, quod generi per speciem derogatur, consequenter per hanc Definitionem prohibitionis Magisterij, quæ est quid speciale Congregationi, derogatur Constitutionibus in ea parte, quæ aduersantur huic Definitiuæ prohibitioni,

598 Instant tertio adducentes clausulas: *Cum derogatoria obstantium, &c.* quæ derogat omnibus, quæ possunt obstare huic priuilegio, ac proinde huic Definitioni. Et quatenus ea fuisset exprimenda in memoriali, si non fuit expressa, habetur pro expressa per aliam

599 clausulam; *Illorum tenores pro expressis habentes*, quæ operatur ac si dicta Definitio de verbo ad verbum fuisset expressa in memoriali, quę proinde per hanc clausulam videtur suppleta in memorali & derogata in hac obstantia, ex allegatis per Ludouis. decis. 240. ibi Beltraminus num. 21.

600 ℞. Generaliter, per dictas clausulas esse suspectas, quia non sunt expresse per verba ordinaria, vt proferuntur in cæteris Bullis, Priuilegijs, & Rescriptis. Deinde tollunt constitutiones in contrarium facientes, non autem Statuta, ac Definitiones Congregationis, de quibus ne verbum quidem, nam sub obstantijs prædictis exprimitur solum verbum *Constitutionis*, quod certum est argumentum, quod sicut Priuilegium comprehendit religiosos Prouinciarum, pro quibus disponunt constitutiones in ordine ad gradum Magisterij, ita eisdem derogat, in quantum aduersantur huic Priuilegio, illæ ergo clausulæ referuntur ad constitutiones tantum pro alijs Fratribus Prouinciarum.

Deinde singillatim ℞. ad primam clausulam: *Non obstantibus.*

601 Primo, hanc clausulam tollere quidem omnia, quæ dispositioni, cui apponitur obstare possunt, vt docent omnes cum Iasone lib.4.consil.110.col.4. Roband. lib.3.consil.67. num. 62. Marta part.1.claus.79.num.1. Sed sub hac dispositione, vt probatum fuit, comprehendnntur tantum Constitutiones Generales, non autem Definitiones; ergo clausula nichil operatur contra Definitiones Congregationis.

602 Secundo, ea clausula non derogat Statutis particularibus, cuius rationis est prælibata Definitio, cum non sit constitutio generalis

lis ordinis, Marta par. 1. clauſ. 79. num. 4. vbi pro ſe citat Rotam deciſ. 1. de præbend. in Nouiſ. Felin. in cap. Nonnulli, de reſcr. n. 23. Barboſa clauſ. 82. num. 16.

603 Tertio, non auget gratiam, ſed tantum declarat mentem concedentis, idem Marta num. 7. ex Baldo, & Caſtrenſi, cum alijs Barboſa eadem Clauſ. 82. num. 7. Sufficit ergo, quod gratia intelligatur facta pro Prouincijs, quibus in ordine nihil videtur obſtare, cum habeant ex vſu ordinis Magiſtros numerarios, quibus ex gratia adduntur ſupernumerarij, quorum vtrorumq; incapaces ſunt Fratres Congregationis.

604 Quarto, eadem clauſula nihil operatur in præiudicium tertij, idem Marta num. 16. cum Antonio, Gabriele, Menochio, Crauetta, maxime cum Princeps ignorat iura eorum, quorum præiudicium ſcribit, vt dicit ſeq. num. 17. Papa autem præſumitur ignorare ſpeciales Definitiones huius Congregationis, ergo non preſumitur illis derogare ex cap. 2. de conſtit. in 6. maxime cum agatur de præiudicio iuris aquiſiti, ex probatis ſupra.

608 Ad ſecundam clauſulam: *Illorum tenores, &c.* ℞. primo intelligitur reſpectu Conſtitutionum, quibus obſtantibus priuilegio derogatur, cum illud pronomen *illorum* ſolum referantur ad precedentia, nempe ad Conſtiiutiones Apoſtolicas, & ordinis, de quibus facta fuerat mentio in prima clauſula obſtantiæ, relatiuum enim non poteſt referre niſi relatum ante, vt apud omnes in confeſſo eſt, dicit enim relationem ad ſuperiora, non ad inferiora.

Secundo nichil operatur, quando non fuit facta aliqua mentio de illo, de quo tractatur: Verallus par. 1. deciſ. 121. Riccius in praxi reſol. 368. Farinac. par. 2. Recent. deciſ. 118. num. 5. Barboſa clauſ. 127. num. 10. Sed nulla facta fuit mentio de hac Definitione neque, in Memoriali, neq; in prima clauſula, ergo hæc clauſula nichil operatur contra Definitionem.

Tertio, hæc clauſula non tollit ius quæſitum, Marta, Gonzal. cum alijs Barboſa dicta clauſ. 127. num. 12.

Quarto, non inficit ea, de quibus dictum non fuit in parte diſpoſitiua, Decius conſil. 373. num. 14. Pariſ. lib. 4. conſil. 42. num. 18. Idem Barboſa clauſ. 127. num. 16. Tambur. par. 3. deciſ. 90. num. 5. & 6. Conſtat autem ex probatis ſupra in diſpoſitiua nullo mo-

do comprehendi Definitionem, cum illius sit destructiua, ergo hæc clausula non destruit eandem Definitionem adhuc in suo robore manentem.

Quinto, non operatur, quotiescumq; concedens si notitiam habuisset prælibatæ Definitionis, non concessisset, Rota apud Marchesi. par. 1. de Commiss. fol. 640. num. 6. Barbosa eadem Claus. 127. num. 17. & habetur apud Tambur. decis. 89. num. 15. non enim tollit defectum intentionis num. 16. nec operatur circa non expressa, num. 17. & seq. Decis. 90. num. 5. & 6. Si autem Papæ significatum fuisset, Congregationem ob conseruandam humilitatem suorum alumnorum habere specialem prohibitionem Magisterij, certe non derogasset per huiusmodi clausulas, ne Fratribus dedisset occasionem commutandi humilitatem in superbiam, scientia enim habens gradum adiunctum inflat.

Et ita, &c.

Quæres 238. Petrus acceptatus fuit in Collegio laureandus, cum tempus permiserit, vt possit laurea doctoratus insigniri, modo infra id tempus quidam alius promouetur actu, aggregatur, & incorporatur collegio. Cuinam istorum debetur præcedentia, quæ in hoc collegio attenditur secundum prioritatem ingressus, & incorporationis in collegio.

606 ℞. Debetur aggregato, non autem postmodum laureato licet ante acceptatus fuerit laureandus, etiam prætextu præcedentiæ. Probatur, Tum quia isti comparantur ad inuicem sicut illi, quorum vnus in canonia primo receptus fuit, alteri vero beneficium collatum fuit antequam reciperetur; sed is secundus præferendus est primo recepto, per cap. Eum qui 7. de præbend. in 6. vbi dicitur, quod in impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio, aut receptio. Tum quia acceptatus se habet vt quasi licentiatus & aggregatus est iam doctor & incorporatus, ergo is posterior est præferendus, cum iam aquisitum habeat ius præcedentiæ in collegio, & receptus ad futuram lauream aliquale habeat ius ad rem, quod est imperfectum; & minus etiam attenta postmodum eiusdem aggregatione actuali, quæ semper est posterior iam incorporato. Tum quia licentiatus ad futuram lauream dicitur in potentia ad dignitatem, doctor autem aggregatus actu est in dignitate constitutus, sed potior est ratio doctoris,

quam

quàm laureandi, ergo ille præferendus est. Tum quia illi sunt præferendi alijs, quos seruitus, & labor prolixior fecerunt anteire, l. Nemo C. de off. mag. sed aggregatus prius magis seruiuit collegio recepto sub spe laureæ, qui nullo modo inseruiuit, sed hodie cæpit seruire. Tum quia habens gratiam, vt clericetur, non ideo id illi concessum intelligitur cum præiudicio eius, qui de se est clericus, ex cap. Quamuis, de rescr. in 6. Sic in casu nostro recipiens gratiam vt primo doctoris lauream recipiat intelligitur id sibi concessum sine præiudicio eius, qui ante ipsum actu est doctor eiusdem collegij. Demum in dubio pronuntiandum est pro possessore, Bursat. li. 4. cons. 343. n. 75. Mar. Anton. lib. 1. resol. 84. n. 1.

Dices, prædicta non obstare, quia habent locum, quando petenti promotionem facta fuit gratia sine expressione iuris præcedentiæ, in casu autem præsenti petijt doctorari ante alios ad effectum consequendi præcedentiā, vnde habet ius manutenendi in sua promissione. Resp. Sibi imputet, quia poterat impedire, & non impediuit. Præterea ius præcedendi Collegiū promittere non potest, nisi indirecte, & consequenter ex promissa promotione, qua non extante corruit omne ius, si alius promouetur, & aggregetur de facto ante ipsum.

Quæres 239. An Reformati ingressi in conuentum non Reformatorum eiusd. Ordinis succedant in omnia iura præcedentiæ in ordine ad processiones, & omnes alios actus tam publicos, quā priuatos, in quorum possessione ante erant non Reformati? Dico *eiusdem Ordinis*, quia alterius Ordinis ingredientes hoc ius non aquirunt, nec succedunt, quia nullam habent ad inuicem connexionem, nec identitatem, quæ huiusmodi successionem in iure præcedentiæ fundare valeat, sed in loco vti omnino noui, & primo venientes considerandi sunt sine vllo ordine ad præcedentes.

607 R. Succedere in omnem præcedentiam, quā ante habebant nō Reformati. Probatur. Tum quia personæ subrogatæ dicuntur eædē

608 cū primis. Auth. de hered. ab intestato venient. Natta cons. 346. n. 3. & subrogata debetur idem honor, qui est debitus subroganti Gratian. c. 298. n. 4. & debent esse paris conditionis cum ijs, quib. subrogātur l. Nemo est ff. de duob. reis, Nauar. cōs. 20. de priuil. n. 20. Vnde ex fictione iuris successor reputatur vna persona cum suo predecessore, gl. vt Veniet cap. Significatum 36. de rescriptis.

Sed

Sed Reformati ſubrogantur,& ſupponuntur in locum non Reformatorum, ergo ſuccedunt in idem ius præcedentię, quo iſti vtebantur, nam qui in ius, & dominium alterius ſuccedit, iure eius vti debet l. 138. ff. de reg. iur. *Tum quia*, ſicut Præpoſiti noui ſuppoſiti in locum antiquorum ſuppreſſorum, horum priuilegia con-
610 ſequuntur, ſecundum Petrum de Vbaldis in tract. de Vnione cap. 2. num. 3. Garziam. de Benef. par. 2. cap. 2. num. 10. Rota par. 6. Recent. deciſ. 252. num. 8. & apud Tambur. deciſ. 116. apud Petrum Fracíſcum de Tondutis Sanlegerij lib. 1. cap. 81. vbi quęſtionem hanc tractat in fauorem Reformatorum S. Auguſtini; ita & Reformati ſubrogati loco aliorum non Reformatorum debent
611 gaudere eorum priuilegijs. *Tum quia* eandem habent profeſſionem, & eiuſdem ſunt religionis, conſequenter ſeruant identitatem ordinis, ſola obſeruantia differentes, quæ non tollit identitatem in ſubſtantialibus, vt docent omnes cum Barboſa de iure ęccleſ. lib. 1. cap. 41. num. 131. & 132. Tambur. tom. 2. diſp. 24. q. 4. num. 54. apud eundem Tondutum. Idem Tambur. tom. 1. diſp. 25. q. 1. poſt num. 190. §. Et licet, ex l. Apponebatur ff. de iudic. Roman. conſil. 198. Lezana in Marimagno Carmelit. num. 30 *Tum quia* ita deciſum fuit fauore Minorum Reformatorum, qui ingreſſi ſunt in conuentus eorum de familia, teſte eodem Tamb. tom. 1. diſp. 25. q. 8. num. 6. & retuli q. 124.

Quæres 240. An religioſus profeſſione prior per gradum Magiſterij recuperet præcedentiam aduerſus alium Magiſtrum prius promotum, qui ex hoc gradu præferebatur quamuis eſſet illo poſterior profeſſione?

612 ℞. Non recuperare, quia gradus Magiſterij vti maior, & dignior præualet titulo profeſſionis; nam vt dixi ſub q. 140. titulus profeſſionis dat ius pręcedentię inter pares, ſi nihil alud obſtat maioris conſiderationis; in caſu autem præſenti obſtat gradus Magiſterij, qui ita montificat ius præcedendi ex titulo profeſſionis, quod amplius reuiuiſcere non poteſt. Nam gradus doctoratus ſuperueniens profeſſioni, ſiue per ſe ſpectatus, ſiue cum anterioritate profeſſionis, non poteſt operari contrarium effectum à priori, ſiquidem per ſe ſpectatus habet exaltare graduatum, non deprimere, quod enim operatus eſt gradus Magiſterij in primo promoto, debet quoque operari in ſecundo promoto; ſed primo

promoto

promoto contulit præcedentiam tantum contra simpliciter prius professum, & non contra alios, ergo in secundo eodem modo operari debet, nempe solum aduersus simpliciter prius professos, & non contra graduatum eodem genere gradus, qui est in possessione præcedentiæ virtute Magisterij, & anterioritate professionis nil efficere potest, quia si titulus professionis ratione illius prioritatis non potuit superare gradum Magisterij excellentiorem ipso professionis titulo, multo minus coniunctus cum gradu Magisterij, qui illi continuo aduersatur. Quare gradus Magisterij simpliciter perimit, & extinguit ius præcedentiæ fundatæ in titulo professionis, adeo, quod prius professus, sed posterius promotus nunquam recuperare potest illam aduersus primum.

613 Confirmatur ex l. Antiquitus 1. C. de consulib. lib. 12. vbi vir. consularis decoratus Patritiatu præfertur ei, qui prius fuit Consul, quia dignitas Patritiatus est maior consulari ex l. Nemini 3. eod. Certum autem est gradum Magisterij esse maiorem titulo professionis, ergo gradus Magisterij facit anteire simpliciter graduatum alteri graduato, seu non graduato licet priori promoto in gradu inferiori. Hæc tamen intelligenda sunt de iure communi, nisi esset in contrarium consuetudo, vt practicatur in mea Religione, firmata in Congregatione prima Generali anno Iubilei 1650. illis verbis: *In paritate gradus attendatur tempus professionis.*

Quæres 241. De præcedentia inter Reuerendissimos Præceptorem S. Spiritus in Saxia, & Generalem ordinis Prædicatorum? De hac controuersia agunt Gratianus cap. 845. fauore Præceptoris, & Contelorus fauore Generalis.

614 Contelorus probat præcedentiam deberi Generali in omnibus actibus præsertim in Congregatione S. Officij *Primo*, quia ordo S. Dominici fuit institutus ab Innocentio III. & approbatus ab Honorio III. anno 1216. dixi Ego sub q. 104. num. 348. ordo vero S. Spiritus licet fuerit institutus ab Innocentio III. anno 1204. Bull. 7. eiusdem, postea tamen Præceptoria eius suppressa fuit per Iulium III. de anno 1552. ideo ex hoc capite antiquitatis præferendus est Generalis Præceptori non obstante eius restitutione facta per Paulum IV. de anno 1556. quæ cum non fuerit ex iustitia, sed ex gratia, non potuit tollere ius quæsitum Generali Domini-

minicanorum, nisi Princeps in literis restitutionis id dixerit, vt distinguit Bald. in l. fin. C. de sent. pas. & restit. lib. 9. num. 6. restitutio enim ex mera liberalitate non se extendit in præiudicium tertij, Iason. in l. Gallus §. Et quid si tantum ff. de liber. & posth. num. 73. quæ omnia prosequitur confirmare num. 40. & seq.

Secundo ex priuilegijs Pij V. & Clem. VIII. in materia præcedentiæ Dominicani præferuntur non solum cæteris Mendicantibus, sed etiam *post Canonicos, & clericos seculares, & antiquiores ordines Monachales*, alijs quibuscumq; Super quibus Bullis plura dixi sub q. 120. ordo autem S. Spiritus non est ordo Canonicorum, nec Clericorum Secularium, nec Monachorum, quibus ordo Dominicanorum debeat cedere locum, sequitur Generalem præferendum esse Præceptori, cum non sit neque Canonicus, neq; Clericus Secularis, neq; Monachus. Hinc patet, responsionem Gratiani sub n. 38. non sufficere, dum bene ait Bullam Pij V. disponere de præcedentia Dominicanorum cum alijs Mendicantibus, nam subsequens Clementis VIII. loquitur etiam de quibuscumq; regularibus, Canonicis, & Monachis.

615 Tertio, Generalis habet maiorem potestatem, administrationem, & iurisdictionem super suos Fratres in vniuersum mundum, & ex officio suo defensor fidei coæuo ordini suo; Præceptor vnicum habet Hospitale sibi commendatum; habens autem maiorem administrationem præfertur ei, qui habet minorem, vt probaui q. 33. ergo Generalis præferendus est Præceptori. Adde, quod Generalis habet sub se officiales regios, vti Magistrum, Sacri Apostolici Palatij, Commissarium S. Officij, Secretarium Congregationis Indicis, Confessarium Regis Hispaniarum, multos quoq; Inquisitores. In quibusdam locis religio hæc habet vasallos laicos sub se, merum mixtumq; imperium, non secus ac Præceptor S. Spiritus. Ideo euacuatur per hoc argumentum aliud Gratiani.

Quarto inquit Contelor. quod ordo S. Spiritus fuit laicorum, & ideo ex antiquitate non posse præferri Dominicano, qui clericalis institutus fuit. Non placet hoc argumentum, quia si bene legatur Bulla Innoc. III. 7. in Bullario, cum ordinem facit clericalem, & ratio est, quia cum illud Hospitale esset immediate Sedi Apostolicæ cum suis personis subiectum, necesse fuit, quod ex

sua

sua institutione esset clericale, neque enim Hospitale gubernari potest sine administratione Sacramentorum, quæ conferri debebant ex Fratribus dicti Ordinis.

Quinto probat præcedentiam specialiter in Congregatione Sancti Officij, nam Generalis Congregationi interest sub duplici qualitate Generalis, & Consultoris, Præceptor vero vnica tantum vti Consultor, adeo quod ratio Commendatoris non debet considerari, sed solum quod ibi est vt Consultor, & vt pars aliorum de Congregatione, ergo honorandus est iuxta tempus suæ receptionis, vnde sicut Episcopus receptus vt Consiliarius Regis honoratur tantum vt Consiliarius, ita & Commendator honorandus est vt Consultor.

616 Sexto, Generalis est perpetuus prælatus habens adiunctam qualitatem Consultoris, ac proinde innatam sibi habet hanc qualitatem ex officio, & per se: Commendator vero non est Præceptor, sed loco Præceptoris, & licet sit caput, tamen gerit vices alterius, & amouibilis est, & Consultoris officium ei innatum non est, sed accidit, ergo ille huic præferendus est. Per quod argumentum eliditur oppositum Gratiani cit. cap. 845. num. 44. nam Generalis non habet in se qualitatem Consultoris, sicut Commendator, vt falso ille prætendit, nam non datur Generalis in ordine Dominicanorum sine hac qualitate, sicut datur Commendator, is enim eam sibi innatam non habet, sed casu, seu consilio quandoque accidit. Quare esto com-
617 pararentur ad inuicem respectu huius qualitatis, adhuc præferendus esset Generalis, quia eam habet per se, & naturaliter, Commendatori, quia eam habet per accidens; & non ex necessitate suæ Prælaturæ, ideo hæc non est habenda in considerationem, sicut Generalatus, qui est fundamentum officij Consultoratus.

Deducitur hinc insignia, quibus vtitur Commendator, non esse considerida, quia non sunt radix, & fundamentum cur sit electus Consultor, cum eius Prælaturæ accidat, sed tamquam non per-
618 tinentia ad præsentem quæstionem reijcienda sunt. Nam actus non est considerabilis, quando non confert præcedentiam Bald. in c. 1. de pact. success. Gemin. in cap. A collatione, de appell. in 6.

Abbas

Abbas in cap. Postulasti de concess. præbend. num. 8. Caputaq. parte secunda decis. 76. Præterea Prælati deferunt sua insignia non ad præcedendum, sed pro decore ecclesiarum suarum, ex cap. Apostolica, de priuileg. in 6. Abbas in cap. Inter monasterium, de re iud. num. 25.

Finis Operis.

INDEX

Quæstionum de Præcedentia, & Maioritate.

235 *An Reformatus officialis pro obseruantibus transiens gaudeat precedentia.*

236 *An Iudex Criminalis preferatur Ciuili.*

237 *An in Congregatione ordinis S. Augustini promoti ad Magisterium gaudeant precedentia.*

238 *An receptus laureandus preferatur postea Laureato ante ipsum.*

239 *An Reformati gaudeant precedentia eorum, in quorum locum successerunt.*

340 *An in religiosis promotis ad Magisterium attendatur tempus promotionis, an professionis in precedendo.*

341 *An Generalis Dominicanorum preferatur Commendatario S. Spiritus in Saxia Vrbis.*

INDEX RERVM.

A

B

C

Clausula

E

F

Femina

G

H

I

Ioannes

L

Locum-

Mortuus

Parium

Præesse

Q

R

S

Sen-

FINIS.

Errata duo essentialia sic corriguntur, alia corrigat prudens Lector
Non secundum fol. 19. linea 3. dele.
Maxime fol. 89. sub num. 217. lege *Minime*.

FAcultate ad id mihi specialiter data à Reuerendissimo P. Generali Inquisitore Parmę Petro Martire Bonaccio Sacr. Theologiæ Magistro, &c. hoc opus inscriptum *Theatrum Pręcedentiæ*, quarumcumq; personarum, &c. à Reuerendissimo P. Magistro F. Francisco Bordono Tertij ordinis S. Francisci Generali Collegiato Parmensi compositum, ac congestum vidi, legi, ac maturè consideraui, illudq; sanum, & doctum iudicaui, & nihil in eo contra Fidem, & Religionem, aut bonos mores continens affirmo; sed canonicam, & ciuilem doctrinam solida veritatis stabilitate fundatam; opus sanè dignissimum censeo, quod in communem vtilitatem edatur, cum æquè censeam fore, & esse perutile & necessarium omnibus ius Canonicum, & Ciuile discentibus ac in vtroq; regimine regentibus. Parmæ ex Ædib. Studij sub die 8. Decembris 1653.

CAN. L. SACCARDVS I. V. AC THEOLOG. DOCT.

PRo Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. D. Carolo Nembrino Parmæ Episcopo, & Comite vidit, & approbauit die 2. Februarij 1654.

D. IACOBVS ANTONIVS GVIDINVS I. V. D.



